MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81106-2

AUTHOR:

FAHRAEUS, FREDR.

TITLE:

DE ARGUMENTO ATQUE CONSILIO

PLACE:

UPSALIAE

DATE:

1886

Master Negative #

92-81106-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Fåhraeus, Fredr. Im.
De argumento atque consilio Daetalensium fabulae Aristophaneae commentatio Academica ... Upsaliae, Almquist, 1886.
77 p. 23 cm.

Thesis. Upsala.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/20/93 INITIALS m.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ARGUMENTO ATQUE CONSILIO

DAETALENSIUM

FABULAE ARISTOPHANEAE

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT ET PERMISSU AMPL. ORD. PHILOS. UPSAL.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

FREDR. IM. FÅHRÆUS

LIC. PHIL. NAT. HOLM.

IN AUDITORIO IV A. D. X KAL. MART. MDCCCLXXXVI

H. A. M. S.

UPSALIAE MDCCCLXXXVI

TYPIS DESCRIPSERUNT R. ALMQVIST ET J. WIKSELL.

In comoedia Attica antiqua imaginem vitae publicae ac privatae Atheniensium tamquam in speculo expressam videri, iam praeteritis temporibus multi et doctissimi viri intellexerunt neque pauci reliquiis eius pervestigandis paene totos se dederunt [1]), quorum ex industria, doctrina, iudicii acumine quantos perceperit fructus cognitio nostra antiquitatis, nemo ignorat, qui vel mediocriter in his studiis versatus sit. Neque id cuiquam mirari licet. Quoniam enim eam fuisse condicionem ac consuetudinem antiquae illius comoediae constat, ut ad rem publicam communemque civium vitam imprimis spectaret, in eos, qui variis temporibus ei praeerant, diligenter inquireret, omnia denique, quae Atheniensium mentes vividissimas in praesentia delectare poterant, ante oculos spectatorum in scaenam produceret, facile causae agnoscuntur, cur illud artis poeticae genus ex omnibus aptissimum ad mores populi Atheniensis cognoscendos institutaque quam accuratissime perscrutanda putemus. Et huic litterarum generi operam navantibus universa Graecorum poesi quasi in unum comprehensa delectari nobis licet, quia ceteris quoque artis generibus ad opus suum perficien-

[1]) Eminet praeter ceteros nomen *Aug. Meinekii*, qui fragmentis comicorum Graecorum collectis ac dispositis "exegit monumentum aere perennius" sagacitatis suae atque doctrinae exquisitissimae.

dum atque ornandum quodam modo utitur comicus[1]). Cum autem poetarum musae illi comoediae inservientium facile sit princeps et omnium instar Aristophanes, satis intellegendum puto ex eius praecipue fabulis velut ex uberrimo fonte eas scientiae copias, quas quaerimus, hauriendas esse: et ut in hac arte ille maxime floruit, ita benigna fortuna laudem eius paene imminutam ad posteros servavit: tota enim opera aliorum comicorum Graecorum nulla iam remanent; illius ex fabulis non paucae ad nostram aetatem pervenerunt. Accedit, quod Aristophanes, quamquam infitiari non possumus, saepenumero eum res immundas, lubricas, obscenas, ut erat comicorum mos, deprompsisse verbaque ad istas proxime accommodata usurpasse. in toto genere scribendi versibusque elegantissime compositis illam "solis concessam Atticis venerem" [2]) non modo omnino obtinebat, sed etiam ad summam perduxit. Et si haec vera esse fateamur, concedendum est illius poetae fabulas vel dignissimas esse, ad quas perquirendas et explanandas studium conferamus. Etiam cogitandum est per longam annorum seriem in scaena Atheniensi Aristophanem viguisse et fabulas eius saepe haud exiguo spatio intermisso doctas diversitatem temporum mutatamque interim rerum condicionem arguere; ex quo satis apparet, quanti intersit usque ab eo die, quo primum laurea coronatus est, gradus et quasi processus artis Aristophanis studiose persequi. Atque operae pretium haud dubie erit, si vetustissimum ingenii

[1]) Admodum scite *A. F. Didot* (Poetarum Comic. Graec. Fragmenta recogn. F. H. Bothe, Paris MDCCCLV) Praefat. p. VII: "Comoedia antiqua est totius poeseos et omnium generum quasi *bacchanal;* nihil enim in epico carmine expromitur grave et iucundum, nihil in lyrico spirat sublime et divinitus afflatum, nihil tragoedia loquitur elatum et severum, elegia molle et tenerum, quin eadem omnia, sensus eosdem et eosdem modos, ludibunda resonet comoedia".

[2]) De comoedia antiqua Quintil. Inst. Orat. X, 1, 100.

Aristophanei monumentum respicientes iam inde ab initio voluntatem eius rationemque studiorum cognoverimus. Constat eum Ol. LXXXVIII, 1 (a. 427 a. Chr. nat.) primam suam fabulam, quae *Daetalenses* inscribitur, docuisse; aemulus eius Eupolis, qui superiore anno primum in publicum prodierat, iisdem festis diebus Centauri fabulam dedit simulque Horae Cratini in scaena exhibitae sunt[1]).

Cum igitur Daetalensium fabulam aliqua ex parte tractare instituissem, minime quidem mihi ignotum erat me difficillimum laborem suscipere. Integra non diutius est in manibus fabula: supersunt fragmenta: non perpauca ea quidem, sed exigua, disiecta, plerumque obscuriora quam ut ex iis quicquam quaesitu dignum de vi et argumento fabulae conici possit. Non defuerunt ii, qui singula fragmenta interpretari, explicare, suo quaeque loco disponere conati sint, sed hi aut plus iusto coniecturis non probabilibus indulserunt aut permulta inexplicata reliquerunt. Haud minimam sane difficultatem argumentum ac consilium fabulae Aristophaneae indagantes in eo positam esse statim invenimus, quod magnam rationem, quam in fabula conscribenda sibi proposuit poeta comicus, sensus ac mentes spectatorum quasi celare semper fere studet: sic enim iocis variis et lascivis modica seria permiscet, sic hilaritatis festivitatisque nonnumquam nimis profusae simulatione consilii gravitatem contegit, ut dubium quibusdam fuerit, num quid serii graviorisque consilii comoediis Aristophaneis omnino propositum esse videretur. Quae res cum ad cuiuslibet comoediae cognitionem non parvi sit momenti,

[1]) Cfr *Wilamowitz-Möllendorff,* Fasti Comici 430—20 in Observ. Crit. in Comoed. Graec., Berol. 1870, p. 24 sq. De Aristophane et Eupolide cfr *J. F. C. Burmann*, De poetis comoediae Atticae antiquae qui commemorantur ab Aristophane, Berol. 1868, p. 16 sq. et *H. Lübke*, Observ. Crit. in Hist. vet. Com. Gr., Berol. 1883, p. 30 sq.

antequam ad inceptum aggrediar, paucis mihi explananda est.

De universa vi et natura comoediae Aristophaneae cum veteres tum recentiores contrarias protulerunt sententias. Cum enim multi exstitissent — quibus etiam Voltairius ille adnumerandus est — eam opinionem iactantes, Aristophanem nihil aliud spectasse quam ut aequalibus risum incultum excuteret [1]) eosque, penes quos erat res publica, acerrimis conviciis lacesseret, alii permulti viri iique ingeniis ac doctrina excellentissimi istorum leves rationes ab omni parte impugnarunt. Neque dubium est, quin perperam de natura comoediae Aristophaneae senserint, qui ex specie iudicantes nihil in ea dignitatis severitatisque invenirent. Nobis ea, quae in comoedia exprimuntur, strictim aspicientibus ludicra, iocosa, humilia omnia obversantur, sed hoc est artis comicae proprium, quod ea quae ad mentem et animum pertinent non solum sensibus hominum plane subiciuntur, verum etiam ita exponi solent [2]), ut ad earum rerum similitudinem accedant, quae beluarum magis sunt quam generis humani rationis participis [3]), quam ob rem contempta, sordida, turpia permulta exhibentur; quod tantum abest, ut consilio serio et honesto poetae obstet, ut virtutes humanae istis turpissimis rebus

[1]) Iam *Plutarchus* ita fere iudicavit. Cfr praeterea *Barthélemy* in Anacharsi; *Hartung*, Euripides restitutus, Hamb. 1843—45; *Valckenaer*, Diatribe in Eurip. dram. deperd. reliqu. *et alios*.

[2]) Egregie de hac comoediae proprietate monuit *A. W. v. Schlegel* (Gesch. d. dramat. Kunst u. Liter., I, p. 240, ed. Upsal.): "das scherzhafte Ideal besteht hingegen in der Harmonie und Eintracht *der höhern Natur* mit *der thierischen* des herrschenden Prinzips. Vernunft und Verstand werden als freiwillige Sklavinnen der Sinne vorgestellt".

[3]) Idcirco haud temere in quibusdam fabulis Aristophaneis beluarum formis chorus indutus est, quare etiam tres, quae supersunt, fabulae earum nominibus inscriptae sunt.

contrariae tacite laudibus extollantur. Quam si satis perspexerimus comoediae consuetudinem, multo certiores comprehensuque faciliores eorum videbuntur rationes, qui Aristophanem, quamvis ioco procaci abundantem versibusque salsissima dicta identidem aspergentem, graviora semper consilia secutum esse et honestatis morum, virtutis, patriae denique amore ductum fabulis vitia aetatis suae insequi voluisse contenderunt. Multi enim viri, qui summae doctrinae et iudicii subtilitatis magnam sibi adquisiverunt laudem, quot in fabulis Aristophaneis cernerentur indicia animi excelsi et honesti, qui cum ioco liberrime indulgeret, gravius aliquid atque ad rei publicae salutem spectans semper ageret, planissime ostenderunt [1]). Neque dubito horum prorsus amplecti sententiam. Nam si ipsius Aristophanis testimonio usi erimus, ille, quodnam in fabulis conscribendis imprimis fuerit consilium, interrogatus disertis verbis pro-

[1]) Ex omnibus iis, qui de ingenio ac consilio artis Aristophaneae optime existimarunt, maxime digni sunt qui laudentur: *G. Bernhardy* (Grundriss d. Griech. Liter., Halle 1880, II, 2, p. 625): "es gilt ... dass er die Schattenseiten in den leitenden Personen und den Zeitrichtungen mit scharfer Beobachtung aufgefasst habe, dass er aber auch die grellesten Zerrbilder mit *ernsten Gedanken* verband und seine Satiren *in sittlicher Stimmung* unternahm. Durch diesen *ethischen Kern und Charakter*" et cet.; cfr praeterea p. 604, 615. *K. O. Müller*, Gesch. d. Griech. Liter., Breslau 1841, II, p. 216 sq. *Nägelsbach*, Nachhomer. Theol., p. 474 sq. *C. Kock*, Arist. u. die Götter des Volksglaubens (Abdr. aus III Suppl. Bande d. Jahrbücher für Class. Philol.), Leipz. 1857, p. 71 sq. *Fr. Lorentz*, De Arist. spe atque imagine rei publ. Atheniensium restituendae, Diss., Berol. 1865 (p. 4: "Comicus, licet deridendi causa pluribus, quam par erat, conviciis eundem hominem cumulaverit, semper tamen *graviore quodam consilio* ubique ducitur"). Quorum numero etiam *Hegelium*, virum illum summum et sagacissimum, ascribere licet; iudicavit de Aristophane (Gesch. d. Philos. II, 83): "bei seinen Spässen liegt ein *tiefer Ernst* zu Grunde; bloss spossen wollte er nicht . . . (p. 86) man muss sogar *die Tiefe* des Ar. bewundern"; eandem repetiit sententiam Aesthet. III, 533 sq. *Th. Rötscher* (Arist. u. sein Zeitalter, Berl. 1827) Hegelii iudicium valde comprobat.

fitebitur, se risus solum excitandi causa adeo non id munus suscepisse, ut novum comoediae genus vetustioris facetiis saepe flagitiosis spretis urbanum magis atque honestum instituisse sibi visus sit, etsi se ipsam artis comicae naturam immutare nullo modo potuisse concedet. Legamus parabasin Nubium, legamus Pacis, Ranarum, alias: in omnibus animum lascivae cavillationis fautores contemnentem, sanis cogitationibus atque excelsis imbutum agnoscemus. Mysteriis Eleusiniis initiatos, qui in Ranis chori partes agunt, sibi utilia civitati (χρηστὰ τῇ πόλει) suadenda esse fatentes fingit poëta (Ran. 686) neque aliter suum ipsius chorum (τὸν ἱερὸν χορόν) rei publicae prospicere vult. Quam frequentes pacis reconciliandae adhortationes in Acharnensibus, Lysistrate, Pace reperimus, quam severe graviterque dictas! Ut de ceteris taceam, nonne vel exodus Nubium, ubi poena a diis immissa impiis fraudesque concipientibus denuntiatur (1458 sq.), vel confirmatio Dicaeopolidis — cuius in persona ipsum poetam quid sentiat eloquentem audimus — iustum dicere comoediam quoque scire (Ach. 500), artem religionis plenam probissimumque consilium peragentem nobis declarant? Iam vero si eos locos consideraverimus, qui ioca et seria comoediarum una commemorant, non facere poterimus, quin utrumque genus Aristophanem ad id quod spectabat assequendum adhibuisse fateamur. Eius modi sunt loci Ran. 389, ubi chorus deam precatur, ut πολλὰ μὲν γέλοια, πολλὰ δὲ σπουδαῖα locutus victor coronetur, et Eccl. 1155, ubi monentur iudices, ut qui inter illos sapientes sint eorum memores, quae sapienter et serio dicta in comoedia audiverint, praemium ad chorum deferant itemque faciant qui libenter rideant, iis multis, quae festive et ridicule prolata sint, oblectati. Quae cum ita sint, mire

errare videntur qui in fabulis Aristophanis consilium aliquod grave et honestum inesse negent.

Haec praemonere necessarium duxi, ne, cum de argumento ac consilio fabulae cuiusdam Aristophaneae paululum disputare constituissem, inanibus fere rebus atque ita comparatis, ut numquam discerni possent, operam daturus viderer. At illis dubitationibus sublatis in aliam delabimur difficultatem. Nam etiamsi persuasissimum habemus Aristophanem in unaquaque fabula certum consilium idque gravissimum persecutum esse, fabulas eius perlegentes multas earum partes ferme nullo rerum conexu cohaerentes, nullis argumenti propositi quasi finibus constrictas, sed plerumque adeo libere inter se assertas mox invenimus, ut quomodo rationi conveniat ordo ac coniunctio rerum in comoedia fictarum, ad intellegendum sane difficillimum videatur [1]). Adde, quod personae a proprio fabulae argumento magis minusve alienae non raro inducuntur, rerumque persaepe mentio fit, quae quasi per ludum ceteris insertae ad rationem totius comoediae percipiendam nihil prorsus valeant. Et si hoc de fabulis, quas superstites atque integras habemus, iure dici potest, sequitur, ut nobis ordinem atque nexum fragmentorum exquirentibus etiam plura in obscuro sint permansura. Quamquam autem Aristophanes in fabularum partibus conectendis nullam sibi imposuit legem

[1]) Cfr *Bernhardy*, l. c. p. 630: "ein loses Nacheinander von Scenen"; *Nesemann*, De episodiis Aristophaneis, Diss., Berol. 1862 (p. 4: "et vera actio apud Ar. ita comparet exsultans atque huc illuc dilabens, ut necessaria argumenti perpetuitas non possit servari"); *Hornung*, De partibus Comoediarum Graecarum, Berol. 1861; *Th. Zielinski*, Die Gliederung der Altatt. Komödie, Leipz. 1885. Argute *A. W. v. Schlegel*, l. c. I, 239: "Die Komödie hingegen ist die *demokratische* Poesie; es ist Grundsatz darin sich lieber die *Verwirrung* der Anarchie gefallen zu lassen als die allgemeine Ungebundenheit aller Griechischen Kräfte, aller Absichten, ja auch der einzelnen Gedanken, Einfälle und Anspielungen zu beschränken."

neque in hac quidem re summae ingenii sui licentiae temperabat, semper tamen, ut verbis utar viri doctissimi [1]: "dass dieses Reich der Willkür, in der allein die Phantasie des jeder irdischen Fessel entrückten Genius zu walten scheint, nicht völlig in der Luft schwebe, sondern in festen Formen sich bewege, dafür sorgt die fixirende Plastik und die Schärfe der typischen Charakteristik". Quocirca nobis contingere potest, ut, etiam si singulos fabulae deperditae actus plane discernere frustra conemur neque omnia fragmenta, quid ad totum valeant quove se referant, intellegere possumus, summam fabulae et argumenti quasi capita expediamus. Neque enim ea fragmenta satis illustrari possunt, quae ad eius modi res pertinent, quae obiter tantum in fabula tractatae sunt neque cum proprio argumento, quod quale fuerit ex aliis reliquiis auctoribusque certa testantibus comperimus, coniunctae esse videntur. Sed haec hactenus; satis erit id ipsum perspexisse, quamnam rationem in Daetalensibus docendis spectaverit poeta ac quale consilium secutus sit. Haec autem agentes non possumus quin ea reputemus, quae dicit Bernhardyus [2]: "wer aus Titeln und abgerissenen Bruchstücken den Inhalt verlorner Komödien abnehmen will und die muthmassliche Herstellung des Plans versucht, unternimmt eine Reihe hypothetischer Kombinationen, denen prinzipiel die logische Wahrscheinlichkeit fehlen darf". Sed quamquam non tantam mihi sumpsi arrogantiam, ut fabulam magna ex parte redintegratam ponere me quidem posse profiterer, vereor, ne viro illi acutissimo assentiri non possim. Certe omnes fabulae deperditae partes cum omnium rerum ibi adhibitarum varietate numquam dispicientur; sed quod ad *argumentum* ac *consilium* attinet, ex supra dictis elucere existimo, ea nos exquirentes, si modo fragmentorum copia sufficit aliorumve, quibus fides habeatur, accedunt testimonia, operam non frustra consumere. Num illius, quam nunc tractabimus, fabulae ad inceptum nostrum suppeditent fragmenta, infra apparebit; hic illud monitum velim, inter primas sex fabulas, quas integras habemus, Bernhardyo ipso iudice [1]) insignes esse similitudines; quae cum ita sint, nonne ex iis multa de Daetalensium et Babyloniorum, quae fabulae illis proxime antecesserunt, ratione ac consilio concludere nobis liceat?

[1]) *Bernhardy* l. c. p. 631. Cfr Nesemann p. 35 sq.

[2]) l. c. II, 2, p. 629.

Fragmenta Daetalensium, quae supersunt, a Brunckio, Bekkero, Meinekio, Bergkio, aliis collecta, apud grammaticos praecipue ac lexicographos, ut Athenaeum, Pollucem, Photium, Harpocrationem, Suidam servata sunt; scholiastae Aristophanei veteres pauca tradiderunt, unum, sed gravissimum, Galenus. Inter viros doctos recentiorum temporum, qui Daetalenses tractarunt, imprimis nominandi sunt: *Th. Bergkius* in Meinekii Comicorum Graecorum Fragm. (Berol. 1839—1857), vol. II, 2, pagg. 1020—1047; *Dindorfius* in editionibus suis comoediarum Aristophanis (ed. Lips. 1829, ed. Oxon. 1835, vol. II, p. 497 sq., ed. V Lond. 1869, summatim ed. Paris. Didot. 1838 et saepius); *F. V. Fritzschius*, professor Rostochiensis, qui Lipsiae a. MDCCCXXXI librum, quem inscripsit "*de Daetalensibus Aristophanis commentatio*", edidit. Ex his Fritzschius copiosissime de omnibus fere rebus huc pertinentibus disputavit, et summa cum pietate mihi confitendum est, me permulta ab illo didicisse; sed in criticis, quas vocant, quaestionibus imprimis versatur et — pace viri doctissimi dixerim — gravia levioribus miscendo saepe fit obscurior, et coniecturas, non raro probabiles,

[1]) l. c. II, 2, p. 634: "In den sechs Komödien der ersten Gruppe, die fast aus *einem* Gusse gearbeitet sind...."

saepenumero tamen, ut infra uberius ostendam, nimium subtiliter et audacter excogitatas proponit. Accedit, quod singula tantum fragmenta explicat neque quicquam de tota vi et oeconomia, quae Graece dicitur, fabulae universe profert; quamvis multa apud eum praeclare sint dicta, tamen in ea saepius incumbit, quae neque doctrina neque summa animi sagacitate certe erui possint, quare etiam dissertatio eius "operosior quam iucundior aut fecundior" ab alio viro antiquitatis studiis dedito [1]) recte appellata est. Minus coniecturis assequi Bergkius studet, apud quem summa fabulae magis perspicua atque aperta nobis obversatur, sed in pauca nec semper veri similia disputationem confert; hic quoque in singulis pertractandis maxime versatur. Dindorfius, priusquam ad fragmenta exponenda aggreditur, argumentum fabulae in brevissimo conspectu ponit [2]). Iam duos libros his proximis annis foras datos nominabo, ubi comoediarum reliquiae diligentissime recensentur. Unus est *Th. Kockii Comicorum Atticorum Fragmenta* (vol. I, Berol. 1881, vol. II, 1884), qui vol. I p. 438—454 Daetalenses continet. Auctoritatem eorum, quos supra commemoravi, saepe secutus Kockius non pauca tamen ipse novat, multas novas lectiones proponit; de fabulae argumento paucissimis verbis disserit. Alter auctorem habet *F. H. M. Blaydesium;* inscribitur hic *Aristophanis deperditarum comoediarum fragmenta,* Hal. Sax. 1885. (Com. Arist. ed. Blaydes, vol. XII). Quem librum quia mihi tum demum in manum venit, cum in publicum libellum meum iam edendum curarem, in omnibus rebus inspicere non potui; adnotationibus criticis egregie confectis fragmenta instruxit

[1]) *Wilamowitz-Möllendorff*, Obs. Crit. in Com. Graec. p. 6.

[2]) *Bothii* editionem non adii, ut quae neque quicquam memoria dignum attulisse videatur neque a recentioribus magni aestimetur.

Blaydesius; de argumentis et consiliis fabularum aliorum sententias plerumque adfert, nihil fere novi ipse addidisse mihi visus est. Praeter hos omnes alios consului, quorum de aliquo ex rebus huc pertinentibus commentationes inveni; quos suo quemque loco infra laudabo.

Cum igitur nemo eorum, qui de Daetalensibus aliquid in lucem protulerunt, de argumento fabulae ac consilio singularem quaestionem, quae quidem omnia ad rem expediendam spectantia complecteretur, instituisset, me non plane operam meam perditurum putavi, si hunc mihi laborem susciperem. Cuius disputationis finem ita mihi optime videor assecuturus, si perpaucis de fabulae commissione praemissis primum chorum quotque novimus personas consideravero, tum singulas comoediae partes quaenam fuerint perquisivero quoque spectare videatur totius fabulae argumentum exposuero, deinde vero si singula fragmenta enumerans quem quidque locum obtinuerit, quantum quidem iudicare potero, variis virorum doctorum sententiis saepe perpensis statuero adnotationesque nonnullas criticas, quae ad gravissima, de quibus ambigitur, fragmenta pertinent, subiunxero. Quem ordinem si vertissem, singulorum turba praegrediens *summae* comoediae, cuius illustrandae causa hanc disputationem praecipue conscripsi, sine dubio offecisset, praesertim cum ex fragmentis permultis ne minimum quidem de universae fabulae argumento atque proposito suspicari liceat. Et si meam rationem secutus ero, perspicuitas illa, quam requirimus, clarior certe eminebit. Quibus locis igitur in universum magis disputabo, leviter tantum singula fragmenta attingam, ne vilissimis rebus, quarum non exigua eorum pars mentionem facit, argumenti summa obscuretur ac confundatur; deinde vero ad illa transibo, quae sententias atque opiniones, quas amplexus

ero, ex parte quidem firmatura ac comprobatura esse spero. A temere coniectandi licentia et opinionibus nulla firma ratione probatis abstinere conabor, quoniam certo scio, numquam nobis omnia dilucida fieri posse, quae ad Daetalenses plane cognoscendos nonnihil valere videantur. Sed de via et ratione libelli mei satis dictum est; hic addam, me in numeris fragmentorum ceterorumque versuum Aristophaneorum ascribendis illum librum secutum esse, qui inscribitur *Aristophanis Comoediae et deperditarum fragmenta* ex nova recensione Guil. Dindorfii cet., Parisiis, ed. Didot. MDCCCLXXVII.

I.

Primam fuisse Aristophanis comoediam Daetalenses ex multis testimoniis constat, inter ea Nub. 524 sq. cum scholiis, et Ol. LXXXVIII, 1 archonte eponymo Diotimo doctam esse, ut plerisque placet, Lenaeis: nam consentaneum videtur, iuvenem illum tironem militantem primum indolis suae atque artis specimen illis festis diebus, cum neque peregrini adesse solerent neque tanta esset populi frequentia, quanta magnis Dionysiis semper confluebat, exhibuisse. Et si fragm. XVI (de nautodicis) nitimur argumento, de quo plura infra, in eandem opinionem nos fieri propensos oportet. Illum autem locum, quem adfert Fritzschius (De Daetal. p. 9), Ach. 1150:

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος τὸν μέλεον τῶν μελέων ποιητήν . . .
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον

minus certum iudico: nam fieri potest, ut alius cuiusdam poetae fabulam eo loco respiciat noster, cuius choragum [1]) nihilo setius ignominia adficere velit. Sed nihil impedit, quominus etiam ad Daetalensium actionem referri possit. Rankius quoque, qui de vita Aristophanis commentationem scripsit [2]), Lenaeis Daetalenses actos esse statuit. Aristophanem secundas tulisse docet schol. Nub. 525 eique sum-

[1]) De hoc Antimacho et illo, qui legem de libertate comoediae reprimenda tulit, vide Lübke, Obs. Crit. in Hist. vet. Graec. Com. p. 11 sq.

[2]) In Arist. Comoed. ed. Thiersch, Lips. 1830, I, p. XLIX sq., in ed. Meinekii, Lips. 1860, p. VII sq.

mam laudem tributam esse; assidue ab antiquis lectitatam fuisse hanc comoediam colligere possumus [1]).

Cum quaestio, de qua iam antiquis temporibus contrariae exstiterunt sententiae, utrum Philonidis nomine an Callistrati Daetalenses docuisset Aristophanes, ad argumentum fabulae atque consilium perspiciendum nullam omnino vim adferat, illam iure omittere mihi videor. Nonnullis tanta exorta esse sententiarum videtur diversitas, ut vix ex his turbis nos expedire possimus; alii, inter quos numerandus est Dindorfius, rem non tam expeditu difficilem iudicarunt. De ea re permulti scripserunt, quorum ad disputationes conferendas delego [2]), ipse in medium relinquens, utri ex illo certamine superiores discessisse existimandi sint.

Quod iam ad *nomen* fabulae Daetalensium attinet, vocabulum illud Δαιταλεῖς [3]) a Suida, Polluce, Eustathio, in Etym. Magno, ab Orione denique adnotatum est, ex quibus, ut in aliis plerisque fabulis Aristophaneis, *chorum* nomen comoediae indidisse apparet. Explicatur (Suid., Poll. VI, 12, Eustath. 1424, 23, vide Fritzsche p. 23, Dindorf

[1]) Bernhardy II, 2, 634.

[2]) Quod equidem sciam, hi sunt digni qui commemorentur: *R. Hanov*, Exercit. Crit., Halle 1830, p. 3 sq.; *Th. Kock*, De Philonide et Callistrato, Guben 1855; *Helbig*, Quaestiones Scenicae, Bonn. 1861, p. 16 sq.; *E. Meyer*, De Arist. fabularum commissionibus, Berol. 1863; *J. F. C. Burmann*, De poetis Com. Att. antiquae, qui commemorantur ab Aristophane, Berol. 1868, p. 30—34; *Lübke*, l. c. p. 49 sq.; *Fritzsche*, De Daetal. p. 12—22 et Quaest. Arist. p. 314 sq.; *Bergk* apud Meineke II, 2, p. 908 sq.; *Dindorf*, ed. Oxon. ad Daet., ed. Didot. p. 447; *Enger* in Jahns Jahrb. 1873, p. 337 sq. Ex quibus Fritzschius et Burmannus Callistratum protagonistam fuisse Aristophanis contendunt, Philonidem autem nostram fabulam docuisse.

[3]) Legitur Aesch. Prom. 1024 de vulture Promethei iecur cotidie carpente:

ἄκλητος ἕρπων δαιταλεὺς πανήμερος —

ed. Didot. p. 447): δαιτυμόνες, θιασῶται, συμπόται; addit Orion (p. 49, 8): ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες καὶ ἀναστάντες χοροὶ (corr. χορός Dind.) ἐγένοντο, quae verba simillima sunt iis, quae leguntur in Etym. M. p. 286, 23: ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες ἐγένοντο χορός; de his plura infra disputabo, sed iam nunc animadvertendum est, a recentioribus plerisque ad locum Etym. M. p. 251, 40, ubi Daetalensium nomen explicatur, ea referri, cum quo in codicibus scripta sunt loco nullam praebeant sententiam (Gaisford., Dindorf.). Hi nostri Daetalenses haud dubie eius generis erant, qui altero nomine *parasiti* appellabantur, de quibus Athenaeus multis locis varie disserit. Quo nomine quid posteriore quidem aetate significatum sit, ex illa Graecorum media, quae vocatur, comoedia optime cognoscitur. In ea enim *adulatores* isti saepissime inducuntur, et Antiphanes Alexisque, omnium clarissimi, quorum fabulae in hoc comoediae genere reponuntur, uterque fabulam parasiti nomine inscriptam docuerunt; quem eius modi personae inducendae morem, ut ex fabula Diphili concluditur, etiam nova comoedia interdum retinebat. Hi parasiti, quibuscum umbrae nobilium Romanorum bene comparari possunt, divites ac generosos semper comitabantur, diligentissime adulabantur, omnia denique, ut apud eos accubarent, ad eorum voluntatem faciebant; istos ne antiquioribus quidem plane ignotos fuisse, inde apparet, quod et Epicharmus (Athen. VI, 235) et Eupolis eius generis homines in scaenam induxerunt: hic Ol. LXXXIX, 3 Κόλακες, illustrissimam fabulam, dedit [1]), qua vitia Calliae, Hipponici filii (Arist. Av. 284), eiusque adulatorum, qui in scurras et sophistas divisi chori partes agebant, gravissime

[1]) Dionysiis urbanis docta haec comoedia Pacem Aristophanis vicit. Cfr. Meineke, Hist. Crit. Com. Gr. p. 131.

castigavit [1]). Et ipse Aristophanes in fabula Tagenistarum, circiter Ol. XCIII, 3 docta, eius modi chorum, seu Calliae sodales seu Alcibiadis fuerant, adhibuit. Sed longe aliter Daetalensium chorus intellegendus est. Cum in templo Herculis epulari dicatur, cum sacris Herculi administrandis coniunctum eum esse satis manifestum est. Qua de re pauca antiqui tradiderunt, leviora omnia et parciora quam ut ad rem penitus cognoscendam sufficiant. Plurima nobis aperuit Athenaeus, multa poetarum aliorumque de parasitorum generibus testimonia colligens, sed ea, velut cuncta fere, quae apud illum scripta inveniuntur, ita nullo ordine disposita, ut quasi turba confusa rerum commemoratarum oriatur. Etsi in cotidiano parasitorum genere describendo maxime commoratur, de aliis quoque pauca disputat: laudat (VI, 234 a) verba Clidemi "καὶ παράσιτοι ἡρέθησαν τῷ Ἡρακλεῖ", Philochori (ibid.) "ἐν τετραπόλει τῶν καταλεγομένων τῷ Ἡρακλεῖ παρασίτων" eiusque, qui de parasitis nostris eligendis plus nobis narravit, Diodori, mediae comoediae poetae, in Epiclero scripta, quae hic adferri oportet (Ath. VI, 239 d, e):

τὸν Ἡρακλέα τιμῶσα λαμπρῶς ἡ πόλις
ἐν ἅπασι τοῖς δήμοις θυσίας ποιουμένη
εἰς τὰς θυσίας ταύτας παρασίτους τῷ θεῷ
οὐ πώποτ' ἀπεκλήρωσεν οὐδὲ παρέλαβεν
εἰς ταῦτα τοὺς τυχόντας, ἀλλὰ κατέλεγεν
ἐκ τῶν πολιτῶν δώδεκ' ἄνδρας, ἐπιμελῶς
ἐκλεξαμένη τοὺς ἐκ δυναστῶν γεγονότας κτλ.

Postremo in versu scribit Cobetus, quem multi secuti sunt, δύ' ἀστῶν. Quibus ex versibus illud quoque videmus, non Herculis parasitos, sicut alios plerosque munere aliquo

[1]) Cfr. Fragm. Com. ed. Didot. p. 170 e Meinekio allata et *J. Töppel*, De Eupolidis Adulatoribus, Rost. 1846; Meineke, Quaest. Scen. 1, p. 55.

sacro vel profano fungentes, sortitione, sed accurata probatione esse electos. Commemorantur etiam parasiti ad Herculis religiones pertinentes, qui ex *spuriis* eligebantur: Ath. VI, 234 e (e Polemone): ἐν Κυνοσάργη .... ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων· οἱ δὲ παράσιτοι ἔστων ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παῖδας κατὰ τὰ πάτρια. Et ex aliis testibus publicis muneribus fungentes, ut archontes, sacerdotes, parasitos ministros et adiutores apud se habuisse comperimus: Aristot. de rep. Athen. fragm. 89: παράσιτοι τοῖς μὲν ἄρχουσι δύο καθ' ἕκαστον ἦσαν, τοῖς δὲ πολεμάρχοις εἷς, Athen. VI, 234 f.: καὶ τὼ κήρυκε ἐκ τοῦ γένους τῶν Κηρύκων τοῦ τῆς μυστηριώτιδος· τούτους δὲ παρασιτεῖν κτλ. et VI, 234 a: πρότερον δ' ἐκαλοῦντο παράσιτοι οἱ ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενοι κτλ. (Pollux VI, 7: ἱερὰν ὑπηρεσίαν παρασίτων).

Haec fere de variis parasitorum generibus comperimus; quae si ultra componere aut distinguere conarer, frustra mihi magnum laborem sumerem: multi viri iique doctissimi de ea re satis superque disputarunt neque ad certum pervenerunt finem [1]). Ad meum consilium persequendum satis habeo dixisse, chorum Daetalensium eius modi fuisse parasitos, qui a Diodoro commemorantur: haec enim sententia cum eorum testimoniis, qui nomen fabulae inscriptum interpretati sunt, optime congruit. Quod a plerisque, ut Bergkio, Dindorfio, Kockio comprobatum invenio. Fritzschius autem contendit (p. 25 sq.) spurios fuisse Daetalenses eosque non in alio fano Herculis nisi eo, quod Cynosarges diceretur, epulari potuisse. Quam ad proban-

[1]) Cfr. *H. Dettmer*, De Hercule Attico, Diss., Bonnae 1869, p. 23 sq. et *A. Kampen*, De parasitis apud Graecos sacrorum ministris, Gotting. 1857, quem tamen librum inspicere mihi non licuit; *Müller*, Dorier, I, 441, 442.

dam opinionem multos enumerat locos, qui in eo delubro celeberrimum fuisse Herculis cultum [1]) poetasque comicos non raro sacra eius ibi instituta in mente habuisse testantur; deinde causam civitatis, quae in hac fabula haud dubie agitur, in rem suam quodam modo convertit Fritzschius: in Cynosarge spurios, civitatis expertes, sacra fecisse supra ostendimus; spurios filios ingenuis Atheniensibus pueris seiunctos Cynosargis in gymnasio exercitos esse notissimum est. Haec tamen omnia non satis argumenti praebere arbitror, quia et alia Herculis templa commemorantur iisdem nobilissimis sacris florentia, velut illud, quod in Academia exstructum erat [2]), Melitense, Marathonium, alia, et parasitos etiam in alia Herculis fana convenisse ex verbis Philochori supra allatis (ἐν τετραπόλει) cognovimus. Quae adfert Fritzschius p. 25 de templo Cynosargis parasitis proprie destinato, ad sexaginta illos viros, quorum mentionem facit Athenaeus (XIV, 614 d: οἱ ἑξήκοντα. οἱ τὰ γέλοια λέγοντες) sine dubio spectant; hi autem ab iis parasitis, qui in nostra fabula Daetalenses vocantur, bene discernendi sunt [3]). Quae porro de causa peregrinitatis disputat vir doctissimus, sane obscurissima sunt neque cum parasitorum choro aliquam habere coniunctionem posse mihi quidem videntur [4]); quae omnino de tota illa re testimonia profert, quantum ego quidem iudicare possum, ad gymnasium illud potius quam ad templum referri debent. Quamquam igitur hoc minime mihi persuasit Fritzschius, verum esse confiteor, spurios maxime Herculem

[1]) De templo Cynos. Paus. I, 19, 3, Steph. Byz. s. Διομέα, Fritzsche p. 25, Dettmer p. 15.

[2]) Paus. I, 30, 2.

[3]) De his LX cfr. Dettmer, l. c. p. 29. *Welcker*, Griechische Götterlehre, II, 785, *Kock* ad Arist. Ran. 651.

[4]) v. infra ad fr. XXIII.

venerari solitos esse, utpote qui et ipse νόθος κοὐ γνήσιος, ut verbis utar Aristophanis, esset neque εἰς τοὺς φράτορας patre curante inscriptus (Av. 1650, 1669). Sed hoc non satis esse causae puto, cur non in alio delubro chorus epulatus sit, id quod ex aliis causis veri similius videtur. Nam primum in hac quoque comoedia, ut infra explanabitur, genus iocandi urbanum magis ac verecundum quam illud ludicrum et scurrile, quod in Cynosarge sollemne erat [1]), Aristophanes adhibuit; deinde magis fabulae Aristophaneae, quae rem publicam Atheniensem semper respicit, rationi consentaneum est, homines civitatis plenae participes in scaenam esse productos ibique sententias suas de rei publicae salute paranda exposuisse; qui quidem in Cynosargis fano vix prodibant [2]). Neque minimam auctoritatem Diodoro tribuamus, qui ad Daetalensium munus obeundum genuinos Atticos cives electos esse certe testatur; verba eius infringere conatus est Dettmer [3]), sed etiamsi ficta sit origo cotidiani parasitorum generis ab antiquis illis honestisque petita, non dubium videtur, quin vera omnino de his tradiderit comicus: sic enim *speciem* veritatis iocosae parasiti defensioni imprimit. Duo parasitorum genera Herculi sacra peregisse credo, unum ingenuorum civium Atheniensium, alterum spuriorum, quibus sacris una cum illis patrandis lege interdictum erat (v. Isaeum: μηδὲ νόθῳ μηδὲ νόθῃ ἀγχιστείαν εἶναι μήθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων: Polemonem ap. Athen. VI, 234 a supra laud.).

[1]) Cfr. Kock ad Ran. 651 "die Herakleen wurden ... innerhalb der Stadt ... nicht mit der *gewöhnlichen Ausgelassenheit* gefeiert".

[2]) In vetustioribus comoediis Aristophanis semper fere e civibus Atheniensibus constitit chorus (Acharn., Equit., Vesp., Pac. et fortasse in Babylon., de quibus v. *Fritzsche*, De Babylon. Arist., Lips. 1830, p. 17 sq.).

[3]) l. c. p. 24.

De parasitis in aliis quoque Herculis delubris epulantibus Philochori testimonium nuper attuli: ad quod accedunt plura. Dettmer p. 37 inscriptionem [1]) quandam adfert, quae festa Herculis in Mesogaea anniversaria, antiquitus tradita, epulis celebrata commemorat; pergit Dettmer: "puto autem ex unoquoque pago Mesogaeae paucos fuisse missos, qui pagi nomine Herculi sacrificarent; tum pompam Herculi institutam fuisse *epulasque* ei adornatas. Tales epulas imprimis in cultu Herculis Attico haud raro fuisse Aristophanis comoedia Daetalenses ostendit, cuius scaenam in templo Herculis fuisse Bergkius ... statuit". Et Sauppius (in Jen. allg. Lit. Zeit. 1854, 60, p. 237 sq.) totam Atticam in quasdam regiones ad Herculis cultum distributam fuisse conicit. Quae cum ita sint, satis apparet vetustiore quidem aetate cum Herculis cultu epulones coniunctos esse [2]) Aristophanemque cives Atticos in nescio quod templum huius dei inducere iure potuisse. Sed mirum est, quod Athenaeus, quamvis compluribus locis hos antiquiores parasitos attingeret, comoediam nostram nusquam respexisse videtur [3]).

---

[1]) Primum editam ab *E. Curtio*, Inscriptiones Atticae nuper repertae XII, Berol. 1843. De his rebus alias quoque inscriptiones (Pittakis, Kirchhoff) adnotat Dettmer, v. p. 29 sq.

[2]) Cfr. Romanorum *viros epulones* et *Titios sodales*.

[3]) De parasitis disputantes non possumus non animadvertere legem apud Athen. VI, 235 c servatam: ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλεύοντα ... ὅπως ἂν ... τοὺς παρασίτους ἐκ τῶν δήμων αἱρῶνται κατὰ τὰ γεγραμμένα· τοὺς δὲ παρασίτους ἐκ τῆς βουκολίας ἐκλέγειν ἐκ τοῦ μέρους τοῦ ἑαυτῶν ἕκαστον ἑκτέα κριθῶν· δαίνυσθαι δὲ τοὺς ὄντας Ἀθηναίους ἐν τῷ ἱερῷ κατὰ τὰ πάτρια κτλ. Quae verba quorsum pertineant, haud sane facile est ad intellegendum; tantum dicere audeo, ea non ad nostros Daetalenses Herculis sacra celebrantes spectare, sed aliud parasitorum munus templi cuiusdam tributa procurantium indicare. De hac lege interpretanda Casaubonus ille, cui assentiri me oportet, aperte dixit: "magis ingenua est in talibus ignorantiae confessio". — In aliorum quo-

Cum igitur quid de Daetalensibus illis sentirem explicaverim, sequitur, ut numerum eorum dispositionemque statuam: quod non magnas praebere difficultates puto. Ex viginti quattuor personis chorum comicum constitisse notum est; ex verbis Diodori ex singulis pagis duodenos viros ad sacra dei facienda missos esse comperimus: duorum autem pagorum epulones in eodem fano festum una celebrasse vix credibile videtur. Quare Bergkii ab aliis comprobatam sententiam recipio, duodecim convivis totidem pueros singulis singulos comites datos esse, qui chori numerum complerent. Patres ad illas epulas nonnumquam filios secum adduxisse nobis aperuit Isaeus (9, 30): ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς τὸν Ἀστύφιλον παῖδα . . . εἰς τοὺς θιάσους τοὺς Ἡρακλέους ἐκεῖνον εἰσήγαγεν ἵνα μετέχοι τῆς κοινωνίας. Sunt tamen qui putent, hunc utriusque aetatis numerum vitiosum esse [1]). Sed unde numerum suum sumpserit Diodorus, ita difficillimum erit ad declarandum, neque pauci sunt, qui schol. Equ. 593, quo alteri maxime nituntur, fidem abiudicent, cum eius modi chori divisio artis totius aequabilitati saepissimeque alternis canticis choreutarum singulorum repugnare videatur [2]). Etiam Ve-

---

que deorum religionibus parasitos nonnumquam sacerdotum ministros inveniri supra ostendimus: ad eos — haud dubie velut ipsos sacerdotes legitimo matrimonio omnes natos (cfr Schoemann, Ant. Iur. Publ. Gr. p. 258) — obscura illa lex fortasse referenda est. De parasitis archontum ministris v. Dettmer p. 25, Kampen p. 36, 43. Epulones autem peculiari quodam modo ad Herculem praecipue relatos esse argumentis comprobant Kampen p. 41, Fritzsche p. 24.

[1]) Wilamowitz-Möllendorff, Obs. Crit. p. 9 adnot. laudat schol. Equ. 593: "εἰ χορὸς συνέστηκεν ἐκ πρεσβυτῶν καὶ νέων, τοὺς πρεσβύτας πλεονεκτεῖν δεῖν (W. M. δυεῖν) φασίν", quod etiam de maribus et feminis valet. Hoc scholio adductus statuit W. M. numerum senum et puerorum in Daetal.: 13: 11.

[2]) Cfr *R. Arnoldt,* Die Chorpart. bei Aristoph., p. 84 sq. ad Lysistr., Bergk ap. Mein. et in ed. Blaydes. p. 100.

sparum chorum pueri comitati sunt, qui tamen, ut a plerisque[1]) acceptum est, *παραχορήγημα* erant viginti quattuor choreutis additi. Quod nullo modo in Daetalensibus statui potest: saepe in comoediis Aristophaneis semichoria prodibant: in Lysistrate et mares et feminae chorum effecerunt. Numerum apud Diodorum inventum Dettmer quoque refellere conatur, fragmento Aristoteleo supra laudato nisus, at ibi archontum ministri solum respiciuntur, de Herculis parasitis ne verbum quidem dicitur. Omnino Dettmer de Diodori auctoritate detrahere studet nulla, ut mihi videtur, urgente necessitate. Cum enim testimonia eius cum nullis gravioribus pugnare videantur, eo magis iis utamur, quod ad chorum Daetalensium illustrandum plus quam reliqua lucis nobis adducunt. — Eorum sententiam qui putant quasi *pagum* aliquem Daetalensium finxisse poetam, infra percensebo.

De vestimento atque ornatu chori Daetalensium nihil pro certo adfirmare possum. — Iam id vix praetereundum est, haud inconsulte Aristophanem in prima sua fabula talem chorum, qualem consideravimus, adhibuisse videri; nam si originem comoediae cognovimus, nihil aliud initio fuisse chorum comicum scimus quam festivos comites, Bacchi Phallique comissabundos sodales, varia ioca agitantes[2]); Daetalenses quoque, ut Herculis decebat convivas, licet sacra obeuntes, ludum atque festivitatem haud dubie agebant. In vasis persaepe Hercules Bacchi sodalis depingitur eiusque particeps fuisse dicitur conviviorum[3]).

---

[1]) Contra *G. Hermannum*, De Choro Vesp. Arist., Lips. 1843 — *J. Richter* in Prolegom. editionis Vesp., Berol. 1858, et Arnoldt, l. c. p. 9 sq.

[2]) "lustige Gesellschaft", Bernhardy II, 2, 592.

[3]) Cfr. *Preller*, Griech. Mythol., II, 267: (Herk.) "unter den taumelnden und muthwilligen Gestalten des bacchischen Thiasos" et *Tertull.* de Cor. 7 (Hercules Bacchica laetitia exsultans): "nunc populum capite praefert, nunc oleastrum, nunc apium".

Itaque Herculis epulones ad comici chori Bacchico ministerio fungentis partes sustinendas aptissimi erant; cum autem Atticae civitatis viri et iuvenes essent, res publica Atheniensium, cui comoedia antiqua semper consulebat, iis curae esse poterat.

Ex iis qui in hac fabula *personarum* partes egerunt, tres solos certe novimus, *patrem* senem cum *duobus filiis* valde inter se dissimilibus, quorum alter ὁ σώφρων, alter ὁ καταπύγων a poeta ipso in parab. Nub. 525 appellatus est. Illum senem vehementibus verbis filium improbum insectantem in scaenam prodiisse docet fragm. I, de quo infra pluribus verbis disputabo. Galeno, qui hanc fabulae partem nobis reliquit, testante senex e *pago* Daetalensium oriundus erat (προβάλλει γὰρ ἐν ἐκείνῳ τῷ δράματι ὁ ἐκ τοῦ δήμου τῶν Δαιταλέων πρεσβύτης τῷ ἀκολάστῳ υἱεῖ κτλ.); quod, nisi haec verba mendosa sunt, significare videtur, poetam quasi per ludibrium pagum quendam Daetalensium finxisse, cfr Eq. 79 ἐκ Κλωπιδῶν, Av. 1126 ὁ Κομπασεύς cet. a Fritzschio p. 35 exempla collata; senem igitur cum choro Daetalensium aliqua cognatione coniunctum forsitan induxerit. Casaubonus ex hoc loco etiam conclusit, non ex epulonibus in fano Herculis festum celebrantibus, sed ex pago Atticae sic appellato fabulam nomen tulisse; sed pagus huiusce nominis ignotus est, neque adducor, ut credam Aristophanem paganos prorsus novos ac fictos in scaenam induxisse, quod nec fabulae rationi nec testimoniis veterum supra allatis consentire videtur; nondum ea inveniendi summa audacia atque ubertate excellebat, qua postea totas urbes quasi ex nihilo confinxit, sed in rerum veritate magis versabatur. Kockius, Wilamowitzius, alii,

quibus nullo modo assentiri possum, haec verba Galeni defenderunt. At minime est mirum, si corrupta sunt, nam tot tantisque vitiis totum hoc fragmentum a Galeno servatum laborat, ut vix genuina verba agnosci possint; illud quoque suspicari liceat, Galeni solum errore in lucem illa verba esse prolata. Emendare conatus est Blaydesius, qui (Add. et Corr. p. 415) conicit ὁ ἐκ τοῦ δείπνου vel ἐν τῷ δείπνῳ, quod mihi quidem non valde arridet, cum senem nostrum inter epulones fuisse non pro certo adfirmare possimus. Sed pergit Blaydesius: "magis probabile videtur, pro τῶν Δαιταλέων reponendum pagi aliquod nomen, quod ex loco aliquo huius fabulae iam superstitis cognitum haberet Galenus". Quod omnino probare velim. Sed fieri potest, ut senex ille quasi socius et amicus et paganus [1]) illorum convivarum ab Aristophane inductus sit.

Ex duobus filiis alter priscos mores atque expertam Atheniensium disciplinam retinuerat, alterum vero pravis vitiis artibusque perniciosis imbutum videmus. Cum locis fabulae, ubi fratres illi inducuntur, comparari potest controversia illa τοῦ δικαίου καὶ τοῦ ἀδίκου λόγου, quae in Nub. poster. v. 889 sq. occurrit; et opinari licet, eas fabulae partes, quae contrarias illas sententias de vita et moribus hominum Graecorum, imprimis adulescentium, exponunt, simili fere ratione institutas esse atque illos versus Nubium, quos paulo supra attigi. Atque sororum quandam similitudinem inter has duas comoedias esse monet poeta (Nub. 534); nimiam autem fuisse eam noli existimare, quia in eadem parabasi (546) se bis terve eadem non introducere, sed novas semper inferre formas aperte dicit.

Ad *nuntium* fortasse spectat fragm. XVIII. Etiam servi

---

[1]) Si ex eodem pago oriundi fuerunt senex et Daetalensium chorus, facile errare potuit in nomine pagi adferendo Galenus.

partes vel *servorum* fuisse credi potest, ut ostendunt fragm. VI, VII, XIII cet. *Sacerdotem* quoque inductum esse putat Fritzschius, fragm. XXVIII maxime nisus, neque id refellere possum. Nullas autem habemus causas, cur etiam mulierum partes in hac fabula fuisse suspicemur; in Nubibus, Vespis, aliis itidem nullas mulieres in scaenam productas esse videmus.

Num *regis* quoque partes, ut voluerunt Bergkius, Fritzschius, Rankius, in fabula nostra fuerint, dubitari id quidem licet. Nam qui haec contenderunt, verbis quibusdam Suidae maxime nisi sunt, quae verba apud illum ea proxime sequuntur, quibus nomen Daetalensium explicat: δαιταλεῖς· δαιτυμόνες καὶ θιασῶται καὶ συμπόται καὶ οἷον συνδαιταλεῖς. οὕτως Ἀριστοφάνης· ἐπιδείπνιον βασιλεὺς θέαν τοῖς δαιταλεῦσιν ὥσπερ ἀξιόλογον χαριζόμενος τοῦτ᾿ ἐδείκνυε. Putarunt nonnulli verba ex ipsa fabula deprompta esse ideoque in numeros ea redigere conati sunt. Ita Fritzschius (de Daetal. p. 6 monitum), Rankius, alii. At haec verba non esse Aristophanis, sed Theophylacti Simocattae (Hist. V, 5) iam Toupius monuit; quam ob rem omnes ii, qui de his verbis vehementer et subtiliter disputarunt, prorsus supervacaneum laborem susceperunt. Vide praeterea Meinekium (Add. et Corr. ad Fragm. Com. Graec. V, 1, pag. 62), Gaisfordum ad Suidae locum, Blaydes. p. 98 not. Redditur locus Theophylacteus: "convivis (Romanis et Persis) rex (Chosroes) quasi quoddam postcenium et insigne spectaculum exhibens" (quae in lexico Suidae sequuntur, apud Theophylactum non inveni; v. Theophyl. Simoc. Hist. V, 5, ed. Bekker., Bonn. 1834, p. 214 in Scriptor. Histor. Byzant. ed. *Niebuhr.*). Sed haec nihil ad nos: cum manifestum sit Suidae illa verba non ad Aristophanem esse referenda, neque quicquam ex fragmentis Fritzschii opinioni subsidium

praebeat, neque alius quisquam ex antiquis scriptoribus huius rei testis accesserit, excepto Zonara, qui quidem Suidae verba breviter exscripsit, probabilem rationem nos sequi putamus, si regi illi nullum certum munus in hac fabula tribuimus.

Iam ad partem disputationis venio, ut gravissimam fortasse, ita haud dubie difficillimam summaque in obscuritate versantem. Conabor enim *partes fabulae*, quantum potero, statuere et — quod multo minus in promptu est — quanam ratione inter se coniunctae sint, perquirere. Neque ii qui in his rebus illustrandis operam consumpserunt, multum consecuti sunt: ne capita quidem rerum satis explanarunt. Quod si ipsis fragmentis reliquisque, quae certissima sunt, utimur testimoniis, tres praecipuae partes fabulae discerni possunt, quarum una *epulas* illas parasitorum continet, altera *patrem cum filiis* diversis rationibus educatis in scaena ostendit, quo nova et prava disciplina veteri illi atque honestae opponatur, in tertia denique, quae ex virorum eruditorum sententia extrema fuit, *iudicium* aliquod ante oculos spectatorum ponitur.

In Daetalenses Aristophanem partem, quae ἐπεισόδιον vocatur, inseruisse putavit Bergkius. Quam ad vocem explicandam, cui hic alia subiecta est significatio atque in tragoediis, ad quas Aristotelis illa explicatio [1]) spectat, loci perpauci et obscurissimi grammaticorum pertinent, collecti imprimis a Meinekio, Fragm. Com. Gr. ad Metagenis Philothyten, II, 2, p. 757 [2]). Hi loci, quos hic adferre minime opus esse videtur, novam aliquam fabulam in fabula exhibitam indicant. Quod ad nostram attinet, legitur in Etym.

[1]) Art. Poet. c. 12: "μέρος ὅλον τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν".

[2]) Cfr. Bergk ad Daetal. et Meineke ad Cratini Pytin. (ap. Didot. Fr. Com. p. 39).

Magno 286,19: λέγεται δὲ δράματα καὶ τὰ ὑπὸ τῶν θεατρικῶν μιμηλῶς γινόμενα, ὡς ἐν ὑποκρίσει, quae verba sequuntur ὥς φησιν Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους ἐγίνοντο χορός. Sed posteriora illa verba quid eo loco significent, sane haud facile est ad intellegendum, quare multi, ut supra commemoravi, ad 251, 40, ubi sententiae aptissime satisfaciunt Orionisque auctoritate nituntur, ea reiecerunt. Sin autem locum, quo scripta sunt, retinere possunt et cum iis Suidae illa verba, quae paulo supra [1]) allata sunt, componuntur, concedendum est in ipsa fabula quasi novam comoediam, ἐπεισόδιον seu ἐπίγραμμα, exhiberi potuisse. Quibus adductus Bergkius Daetalensibus illis, qui chori partes egerunt, regem (τὸν βασιλέα) comoediam aliquam scurrilem et ludicram exhibuisse opinatur. At Suidae verba non ad Aristophanem nostrum, sed ad Theophylactum Simocattam esse referenda iam supra ostendimus. Corruunt igitur causae, quae Bergkium ad episodium illud statuendum commoverunt; quibus refutatis non est, cur in fabula nostra eius modi partem ponamus. Quamquam enim Aristophanem in altera fabula, quae ob eam rem Dramata inscribitur, cuiusque duplicis editionis (Centauri, Niobi) exstant aliquot reliquiae, tale ἐπεισόδιον interposuisse non pauci credunt, nostrae tamen fabulae hoc nomen nemo umquam tribuit neque ab antiquis cum illa comparata est; huc accedit, quod multi et docti viri sententiam, quam de vi et natura episodii illius Meinekius et Bergkius amplexi sunt, plane reiciendam censuerunt [2]), etsi grammaticorum verba ad illud spectantia, ut verbis Kockii utar, "extrema caligine obscu-

[1]) p. 25.

[2]) Kock ad Dram., I, 460 et ad Philothyt., I, 709; Bernhardy, II, 2, 611; Zielinski (Die Gliederungen etc. Leipz. 1885) de *talibus* episodiis prorsus tacet.

riora“ sunt neque explicationem ab omnibus approbatam praebuerunt. Sed haec quidem hactenus: de episodiis illis, quippe quae nihil ad Daetalenses illustrandos pertinere videantur, non amplius disputandum est.

Quamquam igitur Bergkius nullis firmis rationibus ductus hoc ἐπεισόδιον in fabula Daetalensium interponendum censuit, idem de versibus nonnullis parabaseos Pacis, qui priores poetae comoedias attingentes ad Daetalenses spectare possunt, nos iure commonuit. Quos versus, ut qui aliquantum ad has res perspiciendas valeant, hic adferre libet.

Pac. 739.

πρῶτον μὲν γὰρ τοὺς ἀντιπάλους μόνος ἀνθρώπων κατέπαυσεν
εἰς τὰ ῥάκια σκώπτοντας ἀεὶ καὶ τοῖς φθειρσὶν πολεμοῦντας·
τοὺς θ᾽ Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας καὶ τοὺς πεινῶντας ἐκείνους.
τοὺς φεύγοντας κἀξαπατῶντας καὶ τυπτομένους ἐπίτηδες.
ἐξήλασ᾽ ἀτιμώσας πρῶτος καὶ τοὺς δούλους παρέλυσεν .....
τοιαῦτ᾽ ἀφελὼν κακὰ καὶ φόρτον καὶ βωμολοχεύματ᾽ ἀγεννῆ
ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ᾽ οἰκοδομήσας
ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις.
οὐκ ἰδιώτας ἀνθρωπίσκους κωμῳδῶν οὐδὲ γυναῖκας,
ἀλλ᾽ Ἡρακλέους ὀργήν τιν᾽ ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπιχείρει κτλ.

Quibus ex anapaestis suspicari possumus, cum dicatur πρῶτον κατέπαυσε — τοιαῦτ᾽ ἀφελὼν ἐποίησε, Aristophanem fortasse etiam Daetalenses (πρῶτον?) in mente habuisse. Nam etsi verum est eum ipsum magis nitido et urbano scribendi genere adhibito argumentisque gravioribus fabulis subiectis effecisse, ut aemuli pannos et famelicos identidem irridere desisterent, negari nihilo setius potest arti Aristophaneae valde esse consentaneum, si in fabula nostra aequalium poetarum levissimos hominum risus excitandi conatus acriter insectatus sit et ante oculos spectatorum posuerit. Quod nescio an in chori convivium aptissime quadret. Quamquam enim, quod molestum est, nihil fere de epulis illis deorum alicui celebratis traditum est, inter Herculis saltem convivas summam fuisse hilaritatem festivitatemque pro certo habemus, quod in Diomeis maxime usu venisse supra commemoravimus. Ipse deus, cuius ad mensam sederunt convivae, non modo cibi avidus (ἀδηφάγος. Schol. Lys. 928), sed etiam impolitus, protervus, agrestis vulgo putabatur [1]) neque convivas eius verborum genere lubrico et impolito uti dedecebat. Cum autem aemulorum vestigia subsequens indocti solum vulgi animos detinere nollet Aristophanes neque ioculare illud comoediae genus omnino neglegere posset, sic fortasse rem instituit, ut in ea fabulae parte, ubi de voracitate Herculis, epulantibus, servis fraudulentis haud dubie saepissime mentio facta est, aequales poetas comicos ridicule imitaretur graviterque vexaret. Sed etsi nova et graviora, quae in comoediam se induxisse non semel gloriatur Aristophanes, apud eum primum semper fere locum obtinere fatendum est, minime tamen nego eum iisdem illecebris, in quas aemuli omnes incidissent, saepe resistere non potuisse nec, si ex reliquis eius fabulis iudicare licet, vulgi sensus ac studia quasi titillare semper veritum esse. Nempe comoedias scribebat: hae autem ioca et facetias, quippe quae in ipsa artis natura essent sita, magna ex parte desiderabant. Sed quia studia ista plebis Atheniensis plausus captantia infra se suaeque artis dignitatem putabat, veri simile est eum in aliorum versibus ridicule imitandis valde, ut scimus, excellentem (cfr in compluribus comoediis Euripidis imprimis versus, quos saepissime imitando exagitabat), in hac quoque fabula occasione inveterati istius comicorum moris irridendi oblata callide

[1]) In tragoedia quoque talem nonnumquam videmus Herculem, cfr Eur. Alc. 747 sq.

ac salse usum esse. Sic enim scribendi genus ad convivium illud depingendum maxime idoneum servavit neque aemulis obtrectandi consilio destitit. Censeo igitur ea, quae a Bergkio ad episodium relata sunt, in eam quoque fabulae partem, quae epulas Daetalensium exhibet, transferri posse. Quae opinio, quamquam in tanta rerum obscuritate nihil pro certo adfirmandum est, ad lascivam convivii festivitatem graviusque comoediarum consilium, quod in parabas. Pac., Nub., Vesp. exponitur, inter se concilianda mihi apta esse videtur.

Num senex cum filio impudico in scena expostulaverit interea dum chorus (in orchestra) cenaret, non plane perspici potest: nullae profecto causae sunt, cur id Fritzschium secuti contendamus. Equidem credere malo iam finitis vel saltem interruptis epulis rixam atque expostulationem ortam esse, quod etiam aptior argumenti dispositio requirit. Cum autem alteram fabulae partem, ubi pater cum filiis inducitur, in pristinis Atheniensium moribus atque institutis magnopere laudandis, vitiis vero novae disciplinae, quae ubique irrepserat, acerrime reprehendendis versatam esse pro certo habeamus, Aristophanem in hac quam tractamus fabula, si illa de convivio sententia probabilis existimetur, ut duo consilia persequeretur, sibi proposuisse colligi potest. Ut igitur in Ranis [1]) duas partes inter se disiunctas instituit poeta, quarum una Bacchi ad inferos descensum eiusque in itinere casus ridiculos ac saepe scurriles amplectitur, altera vero

[1]) Erat aliqua inter Babyloniorum quoque fabulam — secundum Daetalenses actam — et Ranas similitudo. Fritzsche, De Babylon. p. 27: "Bab. et Ran. fabulas quantumvis longo disiunctas spatio in multis tamen partibus communi vinculo coniunctas fuisse sat idonea monumenta habemus". Etiam in Babylon. Bacchi praecipuae erant partes. Hoc quoque indicio sit in Ranis conscribendis pristinam suam artem poetam iam senescentem revocasse, quod ex ipsa fabulae ratione, si quis eam cum Lys., Thesm., Eccl. contulerit, satis apparebit.

proprium fabulae argumentum, quod in certamine poesis tragicae inter Aeschylum et Euripidem in mortuorum sede exorto positum est, expromit, quod certamen, quamvis sit vere comicum, minus tamen ad scurrile ac ludicrum illud genus accedit [1]), ita in nostra quoque fabula eodem modo rem fortasse eum instituisse censeo, ut praeter id, quod potissimum spectabat — ut pericula novae educandi rationis ostenderet — eorum quoque voluntati studioque indulgeret, quibus ludicrum atque impolitum comoediae genus maxime placeret: sed tantum afuit, ut Aristophanes in omni re vulgo isti inculto morem gereret, ut aequalibus poetis comicis, qui haec ambigua studia imprimis persequebantur — quod iam supra probasse mihi videor — graviter obsisteret eosque aspere irrideret. Etiam in Thesmophoriazusis [2]) duo argumenta per parabasin aperte divisa cernuntur, quorum prius mores corruptos mulierum praecipue describit et idcirco incultorum quoque animos captos tenere poterat, posterius autem, quod in versibus Euripideis ridicule inserendis versatur, ad hominum eruditorum animos delectandos maxime compositum est. Quod vero Vesparum *extrema* pars ad ludicrum illud genus accedit, hoc in proprio huius fabulae ingenio positum esse videtur [3]). In Acharnensibus denique, antiquissima fabularum, quae integrae in manibus sunt, partes, quas ludicras et scurriles appellare velim,

[1]) Cfr. Nesemann l. c. p. 11, 12. Tamen duo illa argumenta, licet non arto vinculo, inter se coniunguntur: "cum enim prior pars contineat castigationem aequalium, qui exutis moribus maiorum heluentur neque quicquam sciant nisi petulanter et ignave gloriari; altera in damnatione Euripidis, qui priscam temperantiam et simplicitatem corruperit . . . consistit".

[2]) Cfr. Nesemann p. 9.

[3]) In Nubibus quoque duo argumenta statuit Nesemannus: "non quidem divulsa, ut in Thesm. et Ran., sed in hac ipsa eorum copulatione perpetua constet actionis propria natura".

eaeque, quae gravius argumentum resque vulgi risus minus excitantes exhibent, magis inter se mixtae sunt; tamen si excelsissimam illam belli componendi adhortationem ad Athenienses (v. 497 sq.) et diverbia iocosa Dicaeopolidis emptorumque externorum (v. 719 sq.) respexeris, in ea quoque fabula distinctis partibus suum cuique quasi colorem ab Aristophane saepe inductum agnosces. Quin in nostra fabula levior pars prima fuerit, vix dubitari potest, et quia chorus praecipuas suas partes, quae semper fere ante mediam fabulam geri solent [1]), ibi sustinet, et quia gravioribus partibus saepissime comoediae absolvuntur et consummantur, quo imago honestior universae fabulae rationis in animis spectatorum remaneat.

Ad *primam* igitur Daetalensium partem — si ita convivium illud vocare licet — perpauca tantummodo, quantum iudicari potest, fragmenta spectant eaque leviora minusque inter se cohaerentia quam ut nobis vim et argumentum fabulae quaerentibus aliquantum subveniant: nihil fere in iis nisi verba singula enuntiationesque avulsae, quae ad cibum, vasa coquinaria, similia pertinent, inesse videtur; ad testimonia igitur exigua atque coniecturas nobis refugiendum est.

Primum adducor, ut credam ipsos choreutas in hac fabulae parte quasi actores fuisse epulasque eorum in ipso pulpito paratas esse, quibus finitis in orchestram descen-

[1]) Cfr Acharnenses, Equites, Vespas, Aves. Etiam Ranarum chorus ante parabasin praecipuas suas partes agit; neque vero is ad totius fabulae actionem quicquam valet: nedum *ranae*, quae, quamquam in primo solum actu audiuntur, nomen suum fabulae indiderunt, actioni aliquid adferant. Neque Daetalensium chorus multum forsitan, licet in uno actu partes aliquas actorum sustineat, ad totum fabulae nostrae argumentum valeat, etsi eius nomen fabulae impositum est. (Cfr Th. Kock, ad Ran., Einleit. p. 30: "die Komiker liebten es den Inhalt ihrer Stücke durch den Namen mehr zu verstecken als anzudeuten").

disse eos ibique usque ad exodum fabulae remanisse [1]). Neque tamen puto iam ineunte spectaculo chorum in scaenam prodiisse, quod nusquam apud Aristophanem invenitur: semper prologus fabulae chori parodum antecedit [2]). Quinam in prologo personarum partes gesserint, prorsus ignoramus (servos aliquos cenam paravisse posteaque ei ministrantes interfuisse tamen credi potest). Inter ipsas epulas non modo lyricas singulorum choreutarum partes, sed etiam inter eos dialogum — ut in multis comoediis Aristophaneis [3]) — fuisse conicere liceat; quibus epulis peractis ad proprias suas vices sustinendas transiisse choreutas crediderim (cfr Orionis ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες καὶ ἀναστάντες χορὸς ἐγένοντο). Quod in hoc convivio in scaena, quae haud dubie Herculis fanum repraesentavit, apparando consilium Aristophanem habuisse putarem, iam supra exposui, neque idem iterum percurrendum est. Quin iocum atque festivitatem agentes epulisque opiparis cupide fruentes Daetalenses inducti sint quis dubitet? Caeremoniae fortasse nunc quidem ignotae, quae ad Herculis cultum pertine ant, ab epulonibus factae sunt; sed de his nihil certi nobis aperiunt fragmenta. Ut Hercules mensa largissime instructa semper gaudere ferebatur, qua causa ἀδηφάγος, γάστρις (Av. 1604) vocabatur [4]) et ἐπιτραπέζιος colebatur [5]), ita parasiti

[1]) Cfr Arnoldt l. c. p. 2, saepe, Richter ad Vesp. Proleg. p. 70, *Schönborn*, Die Skene der Hellenen, *Kanngiesser*, Komische Bühne, multis locis.

[2]) Cfr Hornung, De partibus cet. p. 8.

[3]) Cfr *Arnoldti* l. c. p. 1—107 copiosissimam disputationem; de tragoediae usu *Bamberger*, De carminibus Aeschyleis a part. chori cantatis, Marb. 1832; quorum sententias ex parte impugnant *Muff* (Über d. Vortrag d. Chorpart. bei Arist.), Richter (ad Vesp.), Westphal, v. Arnoldt p. 2.

[4]) Sic eum omnes poetae et pedestris orationis scriptores exprimunt, si credere licet Athen. X, 411 a.

[5]) Nobilissima est Lysippi statua, de qua v. *Reber*, Kunstgeschichte des Alterthums, Leipz. 1871, p. 309.

patrono suo haud impares esse certe studebant. Fragmenta, quae huc referre volo, ad epulas resque ibi adhibitas spectant: sed omnia vilia et obscura sunt. Commemorant placentam, quae charisia vocatur (VI), rudiculam unguentariae lecythi, cuius usum ad convivia frequentem esse scimus (VIII), chondrum coctum (X), leporem, cuius carnem suavissimum cibum apud Graecos habitam esse Aristophanes saepe testatur (XI, cfr. Eq. 1192, Pac. 1150, al.), infundibulum aeni (XII), vinum haud vappescens (XIII), κακκάβην, quae olla est (XXVI), θυλακίσκον, quod apud Cratetem panarium significat (XXXII); his postremo addam fragm. IX, ubi cottabi ludi, qui ad Herculis cultum pertinuisse videtur et ad epulas sollemnis erat, mentio fit. Quae omnia, ut iam supra dixi, parum adferunt, quo haec prior pars illustrari possit. Num ipse Hercules in scaenam inductus sit, valde est dubium, neque equidem causas video, cur id censeamus, praesertim cum in parabasi Pacis ipse neget Aristophanes se Hercules istos, quos comici aequales identidem ludibrio haberent, umquam induxisse; postea quidem — ut in Avibus videmus — praeter alios deos Herculem quoque exagitabat noster, sed tum ad aliud comoediae genus se convertebat. Daetalensium fabula — sicut Nubium — animum deorum popularium reverentia maxime imbutum haud dubie indicavit. Sed obscura nobis tota illa pars semper videbitur, quae tamen, quantum suspicari possumus, posteriore erat multo levior, ut non nimis nostra sit deploranda ignoratio, neque esset opere dignum, si plures coniecturas ad has res illustrandas proferrem; quare ad alteram fabulae partem, cui iudicium illud, cuius iam mentionem feci, continuandum esse videtur, adumbrandam iam transeo. Quam partem multo melius cognovimus, quia fragmenta huc pertinentia et plura et graviora

sunt antiquorumque testimonia firmiora nobis praebent subsidia.

Iam ipse Aristophanes hanc partem fabulae gravissimam indicasse videtur, cum in parabasi Nubium v. 529 ὁ σώφρων χὼ καταπύγων nominatim ab eo de hac fabula commonente in memoriam spectatorum revocarentur, quod etiam scholiasta ad illum locum testificatur. Quomodo igitur haec pars cum altera coniuncta sit, non facile est discernere: sunt qui Galeni verbis, quae repudiare supra conatus sum, maxime nisi coniecerint, patrem cum filio pudico vel fortasse cum utroque filio in numero convivarum fuisse ideoque iam antea in scaena spectari potuisse [1]. Sed quod equidem intellegam, hoc diiudicari non potest: si inter Daetalenses senex fuit, melius nimirum conexum partium conspici licet; sed e contrario credibile est eos, qui epularum participes fuerunt, non plus duodecim cum totidem pueris fuisse, quos omnes chori numerum explere oportebat (cfr. Diodori testimonium pag. 16 allatum). Restat, ut senex alio quodam modo epulis interesse potuerit, quod tamen plane ignoramus. Atque ut dicam id, quod sentio, ne coniecturis quidem haec res in tanta testimoniorum inopia expedienda esse videtur: id solum constare puto, has partes fabulae, quamvis laxis vinculis inter se cohaerentes, ordine aliquo apto et iusto, qui nunc quidem restitui non potest, et colligatas et dispertitas esse. Fortasse mutatio scaenae, quae in plurimis fabulis Aristophaneis

[1]) Wilamowitz-Möllendorff, Obs. Crit. p. 7, 8, censet cum patre ad cenam filios venisse et cibum vinumque porrexisse. At Isaeus, qui ad convivium illud filios patres secum adduxisse testis est, nihil de tali puerorum ministerio aperit, sed dicit (vide p. 21): ἐκεῖνον (τὸν υἱὸν) εἰσήγαγεν ἵνα μετέχοι τῆς κοινωνίας. Praeterea hi comites Daetalensium παῖδες Isaeo testante erant, filii autem nostri senis adulescentiam sine dubio iam inierant — quod tamen haud maioris esse momenti credo.

adhibetur, convivium chori secuta est, ut templum Herculis scaena non diutius exprimeret; vel — quod certe cogitari potest — senex, etiamsi una cum parasitis non epulatus est, in Herculis templum aliam ob causam filiis comitantibus se contulerat, ubi Daetalensium illorum, qui eius fortasse erant familiares, sodalitatem convenit. Sed haec hactenus: summa illuc pertinet, ut quid in parte illa, quam posteriorem dicimus, inesse videatur exponamus [1]).

Ut iam supra levius attigi, nunc vero diligentius persequi conabor, fragmenta, quae ad hanc partem referamus, altercationem patris et filii significant. Filius iste (ὁ καταπύγων) a patre missus erat (cfr. fr. III) in urbem, ut liberalissima eius aetatis educatione frueretur; unde cum revertisset, non modo simplicitatem illam antiquam moresque rusticorum nullis deliciis corruptos, quibus frater eius (ὁ σώφρων) a patre — ruri fortasse — institutus erat, despicere se ostendit, sed usu pernicioso rhetorum eorumque, qui subtilem sapientiam arroganter profitebantur, omni perversitate novae educationis, vanis argutiis, morum integrorum summa neglegentia, litium calumniarumque studiis ita imbutus erat, ut de ingenio eius moribusque pessima suspicari possimus. Fragmenta, quae praecipuam cognitionem huius partis posterioris nobis dederunt, ante oculos nostros filium istum male moratum ponunt acerbe cum patre altercantem, qui quid didicerit filius audire cupit, id neque honestum neque utile, sed perniciosum iudicat, poscit, ut more Graecorum ingenuo canat et poetas recitet, inscitiam eius omnium artium, quae antiquis temporibus hominis eruditi

1) Chorum ne in hac quidem parte actione plane abstinuisse, sed filio improbo iuvenes, patri senes altercantibus favisse, sunt qui ex senario quodam fragm. I, cuius tamen lectio incerta est, concludere voluerint. In vetustioribus comoediis aut totus chorus aut partes eius cum actoribus saepe contendunt (Acharn., Equ., Vesp., Av.)

esse existimabantur, vehementer incusat (fr. I, II, III), alterum filium exemplar fortasse ad imitandum ei proponit [1]). Fragmentum omnium luculentissimum maximeque memorabile (fr. I) ad hanc ipsam partem pertinet; unde videmus patrem glossas Homericas e filio quaesivisse, quas hominem liberaliter educatum novisse oporteret, iuvenem autem seni non respondentem de vocabulis iuris difficilibus sermonem intulisse, quo rerum forensium amorem Atheniensium infamem adoriebatur poeta, sicut multis locis Vesparum, Nub. 207:

ΜΑ. αἵδε μὲν Ἀθῆναι. — ΣΤΡ. τί σὺ λέγεις; οὐ πείθομαι,
ἐπεὶ δικαστὰς οὐχ ὁρῶ καθημένους —

Pac. 503 aliasque saepissime. Ut ex eodem fragmento cognoscimus, pater alio fabulae loco superiori haud dubie vicino, etsi dissimiles sunt numeri, vocabulum e rhetoribus aetatis eius aliisque hominibus a se valde improbatis petitum unicuique filii sententiae insertum esse animadvertit. Filii mores vehementer reprehendit senex deque disciplina queritur, quae vetera et experta aspernans nihil nisi molli luxuriosaeque vitae, populari iactationi, sermoni otioso studeat. Vetus illa puerorum educatio, ad animi et corporis aequabilem et pudicam conformationem egregie accommodata, notissima est [2]). Sed exeunte Themistoclis, Cimonis, Periclis florentissima aetate omnia fere in deterius converti coepta sunt. Populare imperium abiectissimis saepe oratoribus viam aperuit, omnium artium peritis, quas ad animos vulgi excitandos et ad ipsorum voluntatem flectendos adhiberi necesse erat; a rebus publicis gerendis optimus quisque removebatur,

1) Maiores haud dubie fuerunt partes iuvenis pudici quam quae hodie e fragmentis erui possint; nam nisi ita fuisset, Arist. non pari ordine fratres (Nub. 529) collocaturum fuisse credo.

2) Cfr. Plat. Protag. p. 326. K. O. Müller, Gesch. d. Griech. Liter., II. p. 233. Bernhardy l. c. I, p. 60 sq.

et si quis istorum audaciam adortus erat, exsilio aut morte multabatur. Licentia civium et temeritate, vitiis et fraudibus principum, malis denique artibus rhetorum, sophistarum, calumniatorum a praeclaris illis temporibus Μαραθωνομάχων belli Peloponnesiaci aetas in dies magis desciscebat. Iuvenum quoque erudiendorum ratio mutata est. Pristina illa puerili institutione haud contenti in rhetorum officinas filios mittebant Athenienses, unde oratoriae artis scientiam disserendique subtilitatem haurirent. Et haec dumtaxat recte; sed et doctores et discipuli pravis aetatis moribus saepissime infecti sunt. Accedebat, quod litigandi cupido rerumque forensium paene insania magis magisque crescebat. Quibus omnibus temporum vitiis imbutum inducit Aristophanes iuvenem, quem τὸν καταπύγονα vocat. Illum etiam turpibus corporis voluptatibus deditum esse et ex cognomine declaratur et ex fragm. III satis apparet: urbanae eruditionis subnixus arrogantia, ut ex fragm. I (et fortasse fragm. Kock. 199) cognoscimus, artibus suis subtilibus et versutis impudenter gloriatur (fragm. Kock. 199, fr. I, IV), rusticos autem et eorum vitae consuetudinem magnopere contemnit (fr. IV), neque id mirum, cum hi aliquid ex pristina morum integritate et simplici honestoque iudicio paene soli servaverint neque iudicialis furoris quasi contagione omnino infecti sint, ut ex Schol. Av. 107 comperiri potest (οἱ ἄγροικοι μόνοι εἰσὶν οἱ μὴ φιλοδικασταί, ὡς ὀλίγων ὄντων τῶν μισοδίκων καὶ τούτων ἀγροίκων). Mollitiam et vitam effeminatam otiosamque, quae isti disciplinae semper comitatur, notant fragm. III, IV, V, XXV (fortasse XIV, alia).

A pernicie, quam mores iuvenis ac disciplina indicaverunt, senex summa maestitia adflictus ad totam rem publicam eiusque pericula, quae ex istis perditis moribus nasceren-

tur, consideranda transiisse videtur. Huc spectant fragm. XV (de triremibus murisque reficiendis), XIX, XX (de calumniatorum perniciosis studiis). In hac quoque fabula mentionem de re publica detrimentoque ei mala ista disciplina illato iniectam esse tanto magis adducor, ut credam, quod compertum habeo omnes, quas quidem novimus, veteris comoediae fabulas rei publicae eiusdem aetatis statum percensuisse vitiaque eius non leniter perstrinxisse. Quamquam igitur non multum de re publica aperiunt fragmenta, manifestum est patrem non filii solum pravos mores vituperasse, sed etiam in communem civium perniciem deperditasque aequalium publicas et privatas rationes invectum esse. Quod cum singula tractabimus, iterum attingemus. Hic addam, ad rem publicam etiam vaticinium illud, quod a scholiasta ad Equ. 1010 commemoratur, cuiusque partem fr. XXVIII esse multi credunt, spectare videri.

Quem finem denique habuerit altercatio ista inter patrem et filium exorta, non est perspicuum. Tamen inclinat animus, ut iis assentiar, qui litem, cuius mentionem nonnulla fragmenta faciunt, continuo altercationem secutam esse credunt. Sed de extrema illa parte fabulae dissentiunt viri doctissimi: censet Fritzschius (p. 108) filium improbum a patre in ius vocatum esse ibique veneficii (fragm. XI) et peregrinitatis convictum; contendit autem Bergkius filium male moratum eo impudentiae processisse, ut ipsum patrem in ius vocaret et eum civitate Attica privare conaretur; similiter Eupolis in Prospaltiis filium suo ipsius patri caedis litem intendentem induxit (v. Com. Gr. Fragm. ed. Didot., p. 186). Ac mihi quidem ex fragm. XVI, quod nautodicas causamque peregrinitatis nominat, manifestum est talem causam in fabula dictam esse; tum vero probabilius est filium istum accusatorem esse patris quam illum

a suo ipsius patre peregrinitatis accusari: tanto patris odio incensus fuit homo nequam, ut nefario modo eum violare contumeliaque adficere studeret. Ad Bergkii igitur sententiam probandam propensus sum; sed tantum Fritzschio quoque tribuo, ut credam patrem contra filii turpissima crimina in se conficta non dubitasse eum variorum scelerum accusare (cfr. fragm. XXI) filiumque improbum ad extremum non modo pecunia, quam falsis delatoribus irrogabant iudices (v. fragm. XVII), esse multatum, sed etiam aliorum scelerum poenas dedisse. Ita ad fragm. XVI, XVII, XVIII, XXII, quae omnia ad iudicium pertinent, intellegenda aliquid luminis adfertur. Si recte Kockii intellexerim sententiam, fratrum expostulationem in modum litis institutam esse vir ille doctissimus suspicatur, neque ad verum iudicium fragmenta, quae nunc tractamus, spectare putat. Quod prorsus repudiare non audeo; sed tum perobscurum fit, quomodo causa peregrinitatis, quae iam commemorata est, agi potuerit, neque cur heliasta ad fori cancellos venerit (v. fragm. XVIII), plane intellegi potest. Moribus iuvenis impudentis valde consentaneum esse videtur, eum litium calumniarumque, ut supra exposuimus, libidine ac paene furore captum patri quoque mores filii acriter castiganti litem intendere haud veritum esse [1]). Iudicium finem et quasi clausulam fuisse fabulae aptissimum est; iam inde ab initio operam dare voluit Aristophanes, ut nova ista et rebus privatis publicisque perniciosissima studia palam detegerentur ac iudicio quodam condemnarentur [2]).

[1]) Etiam fieri potuit, ut *frater pudicus* ab homine audacissimo peregrinitatis accusaretur: sed de ea re nihil comperimus.

[2]) In proxima quoque fabula — Babyloniis — causa acta esse videtur, non, ut hic, peregrinitatis, sed peregrinorum, v. Fritzsche, De Babylon. p. 48, 49; in hac fabula iustis opprobriis Cleon lacessitus brevi post ipsi Aristophani peregrinitatis litem intendisse dicitur.

Quanam poena nefarius adfectus sit, nescio; capitis damnatio a comoediae consuetudine abhorret; fortasse exsilium vel multam conicere licet.

De *chori canticis*, quae in hac fabula fuerunt, nihil dicere possum; fieri tamen potest, ut ex fragmentis unum alterumve ad ea sit referendum. Quin *parabasis* etiam fuerit, non dubium est, cum omnes fabulae Aristophaneae, duabus novissimis exceptis, eam quoque comoediae partem teneant; duae fortasse, quarum altera non plena, sicut in primis sex fabulis integris, compositae sunt; parabasis inter duas illas partes, quas distinctas consideravimus, credo, locum obtinuit; quas in illa sententias proposuerit poeta, conicere non possumus: scimus eum sui ipsius non mentionem fecisse (Ach. 629); partes melicae Herculem fortasse veneratae sunt (ut in Equ. et Nub. numina quaedam celebrantur) vel ad aetatis eius pravas rationes spectarunt (ut antistropha Acharn.). Epirrhemata nescio an poetas Aristophani aequales ludibrio habuerint; sed ut ad partem posteriorem spectatorum animos quasi praepararent, sophistas et calumniatores et rhetores, quorum tum numerus, ut modo dixi, frequens Athenis erat, forsitan carpserint. Quod ad *responsionem*, quam vocant, attinet, eius in hac fabula crebrum usum fuisse pro certo haberi potest, quoniam in Avibus fabulisque ante eas ab Aristophane doctis plus quam in posterioribus eam adhibitam esse constat. Eodem modo in tragoedia Euripidea responsionis usus paulatim evanuit [1]).

Si coniectura nostra de eo, quod inter epulas chori actum sit, veri similis iudicetur, hae sunt igitur fabulae partes diligentius seiunctae:

[1]) *J. Oeri*, De responsionis apud Aristophanem rationibus atque generibus, Bonn. 1865, p. 38; *Hirzel*, De Euripidis in diverbiis componendis arte, p. 94.

I. Prologus, de quo nihil cognovimus.

II. Epulae in fano Herculis celebrantur; chorus in pulpito cenat; conferuntur inter epulas sermones facetiarum et iocorum pleni, quibus ad aequalium comicorum perversa studia ineptumque genus scribendi ridicule exprimenda imprimis utitur Aristophanes.

III. Parabaseos partes recitantur aut decantantur.

IV. Expostulatio in scaena inter patrem filiumque exoritur: vitia et perversitatem novae disciplinae atque eruditionis graviter conqueritur senex.

V. Perseverant in altercando pater et filius; a privatis malis ad communem perniciem et rei publicae detrimentum corruptis adulescentium moribus allatum sermo convertitur.

VI. Novae malitiae iuvenis flagitiosi comperiuntur; lis ad iudices defertur — a patre an filio, haud satis liquet — filiusque damnatur.

Duplex consilium, ut iam ostendi, Aristophanes, cum primum in publicum prodiret, praecipue secutus esse videtur, ut iam inde ab initio pravam rationem aequalium comicorum vulgi cupiditatibus indulgendi summa contentione impugnaret, et magnam rem, quam sibi proprie in comoediis scribendis proposuerat — ut, quanta vitia in nova ista disciplina inessent, ostenderet moresque deperditos, litium cupiditatem, animorum mollitiam, aetatis suae denique iniquitatem totam ac corruptionem irrisione insectaretur — breviter exponeret. Ludicras tamen et iocosas res, quae in Daetalensibus tractatae sunt, non ita magni fuisse momenti ex eo concludi potest, quod poeta, cum in Nub. huius fabulae mentionem facit, de iis nihil prorsus dicit [1],

---

[1]) Non multa earum vestigia in fragmentis reperiuntur. Extremus praesertim fabulae actus serium ingenium ac paene severum prae se

sed *sapientes* (535) invocat spectatores, qui fabulam, Nubium sororem simillimam, pueris risum nequaquam moventem (539), quasi infantem liberaliter educaverint et instituerint; non Herculem ridendum et rudem se ludibrio habuisse, sed Herculeo quodam impetu maxima mala aggressum esse gloriatur (Pac. 741, 752, Vesp. 1030). Quod deorum patriorum cultum in dies magis neglegerent Athenienses et ad sophistarum de rebus divinis levissimas opiniones probandas libentius essent inclinati, in hac quoque fabula graviter reprehendisse Aristophanem, vix est, cur negemus [1]). Etiam credi potest eum quinto Peloponnesiaci belli anno (Ol. LXXXVIII, 1) duces Atheniensium ac principes belli cum Peloponnesiis gerendi cupidos perstrinxisse; Periclem, duobus annis ante defunctum, quiescere haud dubie sivit, cum eum, quamquam aura populari nimium ductus malorum mox imminentium etiam ille semina sparserat, minus omnino quam ceteri eius aetatis poetae comici [2]) vexaret (cfr. Ach. 530, Eq. 283, Nub. 213) neque mortuis maledicere soleret (Euripidem tamen excipiendum esse haud ignoro). Magis adducor, ut credam Aristophanem primam comoediam docentem morum temporum ipsorum magis adversarium exstitisse quam singulos iam ludibrio habuisse (cfr. Vesp. 1029, Pac. 751); Cleonis

---

fert. Fritzsche p. 133: "tristem exitum nostra habuit comoedia, sicuti Nubes, Babylonii, aliae".

[1]) Cfr. *C. Kock*, Aristoph. u. die Götter des Volksglaubens p. 89: "Wir müssen es als einen grossen Verlust ansehen, dass uns die erste Komödie des Dichters, die Daetaleis, nicht erhalten ist. Nach den Fragmenten und sonstigen Nachrichten, die wir über sie haben, dürfen wir annehmen, dass sie uns nicht bloss von den sittlichen, sondern auch von den religiösen Überzeugungen, mit denen er sich seinem Dichterberufe widmete, ein deutliches und vollständiges Bild geboten hätte".

[2]) Ex iis Cratinum, Hermippum, Eupolidem, Teleclidem Periclem perstrinxisse scimus.

autem audacia et impudentia brevi post impulsus est, ut in proxima fabula, iam animosior plausu Daetalensibus large dato, coriarium istum sceleratum rebusque Atheniensium perniciosissimum notaret vulgusque ipsum, cuius mens, ut dicit Pac. 669, "tunc erat in coriis", ab eo deceptum monstraret [1]). Quamquam igitur nihil pro certo adfirmare audeo, veri simillimum videtur, Aristophanem primum poetam exsistentem hominum singulorum reprehensione paene omissa universe, ut ita dicam, illa studia spectatorum auribus obtulisse, quae semper postea retinebat; contentiones autem, quibus singulos ordines hominesque depravatos adoriri volebat, sequentibus fabulis Equ., Nub., Vesp., Thesm., Ran., aliis commisisse [2]). Novae educationi studiisque perversis, quae magis magisque in omnem civium vitam irrepebant, obsistendi munus Aristophanem maxime suscepisse ex iis optime apparet, quae in Nub. 522 monet, se hanc comoediam, ubi ea studia praecipue persecutus est, praestantissimam sapientissimamque comoediarum suarum iudicare (cfr. Vesp. 1047). Sed quamquam iam primum in arenam descendens illa studia honestissima manifeste ostendit, duabus rebus confestim impediebatur, quominus proprium inceptum continuo perageret: et impudentia profusa Cleonis, quem in Babyloniis et Equitibus insectari vellet (cfr. Vesp. 1029 sq.), et bello perniciossimo, cuius suasoribus in Acharnensibus vehementer obtrectaret. Tum demum praecipuo consilio recepto priores Nubes confecit, qua in fabula id ipsum persequi

[1]) Fieri tamen potest, ut *Eucratem* τὸν στυππειοπώλην (Eq. 254) et *Lysiclem* τὸν προβατοπώλην (Eq. 765, Thuc. III, 19), qui Pericle mortuo in rem publicam paulisper insultarunt (cfr. Eq. 129—133), et fortasse ipsum *Cleonem* paulo ante summam rerum capessentem iam in hac fabula incessiverit.

[2]) Cfr. Nesemann l. c. p. 20.

summopere studuit, cuius in Daetalensibus quasi formam descripserat.

Priusquam ad singula breviter exponenda transeam, id postremo animadversum velim, Aristophanem in eo haudquaquam studium collocasse, ut ad totam priorum temporum vitae rationem moresque eruditione aucta necessario abolitos redirent cives, quod fieri non posse ipse haud dubie sentiebat, sed id solum spectasse, ut patriae amorem, consilia honesta, mores integros, modestiam, probitatem, reliquas virtutes maiorum imitarentur [1]). Haec autem cum effrenata civium principumque eorum licentia, tum corrupta adulescentium eruditio, quam in Daetalensibus acerrime insectatur poeta, in dies magis ei subvertere videbatur.

[1]) Cfr. Lorentz l. c. p. 29: "nolebat enim ille cives ad puerilem, simplicem, rationis expertem morum integritatem redire, qualem in Marathonomachis illis fuisse arbitrabatur", cet.

II.

Iam ab expositione brevissima totius argumenti partiumque praecipuarum fabulae ad singula fragmenta consideranda atque ordine disponenda transgredienti mihi de eo, quod in initio libelli confessus sum, admonendum est, illorum ab omni parte explicandorum causa me hoc munus nequaquam suscepisse, quod eo magis mihi omittendum putavi, quod Fritzschius, Bergkius, Kockius satis copiose de singulis disputassent; sed eo maxime consilio hanc disputationis partem adiunxi, ut ad singulas iam descriptas Daetalensium partes singula fragmenta referrentur, et coniecturae atque opiniones, quas supra argumentum fabulae ac consilium exquirens defendi vel exposui, singulis quibus maxime niterentur locis quasi in medium allatis veri similes magis et iustae apparerent.

Omnium fragmentorum gravissimum est illud, quod a Dindorfio 1:o numero signatum [1]) a Galeno in praef. lex. Hippocr. p. 404 ed. Frantz. (ed. Kühn. vol. XIX, p. 66 sq.) servatum est: a quo aptissime ordiamur, quia plurimum ad totius fabulae argumentum intellegendum valet. Galenus illo loco de eo, quod γλῶσσαν appellant grammatici, verba faciens, ut id propius aperiat, dicit: νομίζω δέ σοι τὰ ὑπὸ Ἀριστοφάνους ἀρκέσειν τὰ ἐκ τῶν Δαιταλέων ὧδέ πως ἔχοντα·

---

[1]) Aptius Kockius et Blaydesius in duo hoc fragmentum diviserunt.

ΠΡ. Πρὸς ταῦτα σὺ λέξον Ὁμηρείους γλώττας, τί καλοῦσι
κόρυμβα;

additque iis verbis senem e tribu Daetalensium protervo filio quaestionem proposuisse, quid esset illud, quod commemorasset Homerus, et deinde interrogasse:

τί καλοῦς' ἀμενηνὰ κάρηνα;

filium autem pro responso glossas proposuisse ad ius pertinentes

ΥΙ. Ὁ μὲν οὖν σός, ἐμὸς δ' οὗτος ἀδελφὸς φρασάτω. τί
καλοῦσιν ἰδυίους —

et deinceps

τί καλοῦσιν ὀπυίειν;

Ex iis manifestum esse Galenus dicit γλῶσσαν significare παλαιὸν ὄνομα τῆς συνηθείας ἐκπεπτωκός; sed indicare ipsum Aristophanem in eadem fabula nova quoque vocabula condi posse his verbis:

ΥΙ. ἀλλ' εἰ σορέλλη καὶ μύρον καὶ ταινίαι —
ΠΡ. ἰδοὺ σορέλλη· τοῦτο παρὰ Λυσιστράτου —
ΥΙ. ἦ μὴν ἴσως σὺ καταπλιγήσει τῷ χρόνῳ —
ΠΡ. τὸ καταπλιγήσει τοῦτο παρὰ τῶν ῥητόρων —
ΥΙ. ἀποβήσεταί σοι ταῦτά ποι τὰ ῥήματα —
ΠΡ. παρ' Ἀλκιβιάδου τοῦτο τἀποβήσεται —
ΥΙ. τί ὑποτεκμαίρει καὶ κακῶς ἄνδρας λέγεις
καλοκαγαθίαν ἀσκοῦντας;
ΠΡ. οἴμ', ὦ Θρασύμαχε.
τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων γηρύεται;

Iam ad id, quod consequi volumus, hoc modo animadvertendum est: patri quid possit filius in iis studiis artibusque, quae viro liberaliter instituto necessaria antiquis temporibus imprimis putabantur, exquirenti ideoque iam obsoletas fere atque inusitatas voces (sicut κόρυμβα Il. IX, 291, cfr. Aesch. Pers. 411, Eur. Iph. Aul. 258, ἀμεν. καρ.

Od. X, 521, cfr. Av. 686) ab Homero, omnis eruditionis antiquitatis capite, usurpatas percontanti filius protervus nihil respondet, sed vocabula ex ἄξοσιν illis Solonis deprompta proponit. Opponitur igitur ei, quod Graeci vetustiores studiis liberi iuvenis dignissimum semper iudicabant, rerum forensium ac dicendi formularum ibi adhibitarum scientia. — Huc vindicare voluerunt viri doctissimi — recte fortasse — verbum κροαίνειν (ex Etym. M. 539, 38), quod Dindorfius ad Aristophanem grammaticum retulit, alii autem ad hanc partem fabulae nostrae referendum censuerunt, quia semel tantummodo apud Homerum exstat (Il. VI, 507). — Iam primus versus huius fragmenti ex scripturis aliquot codicum vetustiorumque editionum nullam reddit sententiam (vide Fritzsch. p. 37); scriptura, quam nunc omnes fere acceperunt, a Seidlero est proposita; in tertio versu praebent libri ἰδοῦσί τε, quod Seidler, Hesychii et Photionis auctoritate nisus, in ἰδυίους correxit. Maiores autem difficultates adferunt verba, quae paulo infra sequuntur, a nobis scripta: τί καλοῦσιν ὀπυίειν; Apud Galenum τὸ εὖ ποιεῖν invenimus, quod tamen compluribus causis commoti reiecimus: versus enim est anapaesticus, cuius in fine haec verba posita esse videntur, neque inter propria sua vocabula, quantum scimus, haec verba τὸ εὖ ποιεῖν habebant Atheniensium iuris periti. Emendationem Dobraei ὀπυίειν acceperunt multi, ut Fritzschius, Dindorfius, Blaydesius; quod verbum in Solonis ἄξοσιν usurpatum esse testificantur et Plut. Vita Sol. et Lucian. Eun. et Hesych. s. v. βεινεῖν; probabilitatem quoque palaeographicam, quam vocant, nos adducere, ut illam emendationem comprobemus, facile intellegitur. Bergkius (quocum facere Kockius videtur, quamquam incertam ipse indicat coniecturam) ἀποινᾶν coniecit (multam irrogan-

tem homicidae veniam dare), quod in Pseudo — Eur. Rhes. medio genere positum legitur, ceterum, quod sciam, apud antiquiores nusquam invenitur; num in legibus Solonis usurpatum sit, incertum est. Scripturam Dobraei Bergkius non satis aptam existimat, quia verbum ὀπυίειν in hominum sermone usitatius apud Homerum saepe inveniatur et ab ipso Aristophane in Ach. 255 usurpetur, quare ne pudico quidem fratri ignotum esse potuerit. At haec non satis esse causae arbitror, cur Dobraei coniecturam repudiemus: iuvenis enim in Solonis legibus ceterisque iuris consultorum sollemnibus verbis interpretandis peritissimus non modo a fratre postulat, ut vulgarem, ut ita dicam, vim et sensum huius verbi explicet, sed etiam propriam *iuris* significationem et varias ambages fortasse ad id pertinentes ex eo percontatur; neque usitatissimum hoc verbum fuisse videtur, cum ab Hesychio explicetur s. v. βεινεῖν· παρὰ Σόλωνι τὸ βίᾳ μίγνυσθαι· τὸ δὲ κατὰ νόμους, ὀπυίειν — atque a scholiasta quodam Platonis: ὀπυίειν· τὸ κατὰ νόμον ξυγγίγνεσθαι; ex quibus testimoniis apparet, verbum ὀπυίειν etiam in loco iuris glossarum habendum esse; legitur apud antiquissimos, ut Homerum, Hesiodum, Pindarum, perraro apud Atticos florentissimae aetatis scriptores, saepius postea, ut apud Aristotelem, Lucianum, lexicographos videmus (v. Passowii lex.).

Iam manifestum esse monemus, haud una continuatione illa verba, quae modo attulimus, variorum numerorum causa legenda esse, sed cerni tamen ex iis, quae insunt, a prioribus posteriora non longius distare. Cum enim iuvenis se carmina Homeri ignorare ostendisset senexque iuris peritorum subtilitatem quantopere contemneret declarasset, obiurgatio gravior orta est; filius senem sepulturae maturum propter opiniones nimis antiquas compellat, hic autem, qui vocem

inusitatam σορέλλη (de cuius scriptura v. Blaydes.; cfr. Lys. 372 ὦ τύμβε) audit, fictam credit a Lysistrato, homine contionali, quem non semel deridet Aristophanes, Ach. 854 sq., Vesp. 787 sq., Eq. 1265, Lys. 1105. — Progrediente rixa in unoquoque filii dicto senex vocabulum aliquod e foro vel rhetorum officina ductum reprehendit, velut καταπλιγήσει, ἀποβήσεται(?), quod ex Alcibiade illo, qui ea aetate foro ac contioni mire deditus erat (cfr. Ach. 716, Müller, Lit. Gesch. II, 218), petitum suspicatur, et postemo ὑποτεκμαίρει et καλοκαγαθίαν. Vocabula ἦ μήν, quae in tertio senario leguntur, a Porsonio sunt inventa pro codicum ἡμῶν (cfr. ἦ μὴν — — — τῷ χρόνῳ Nub. 865). Bergkius, qui in hoc toto fragmento emendando nimium agit audacter neque iustum servat modum, retinet ἡμῶν et mutat χρόνῳ in χόρῳ reddens: "noster chorus profecto te superabit"; qua cum versione sententiam suam, quam supra comprobavimus, dimidiam chori partem pueros fuisse Daetalenses comitantes, coniungit. Sed etsi chorum in hac quoque parte nonnihil fortasse ad ipsam actionem fabulae valuisse confiteor, non adducor, ut credam chori in media altercatione sine causa mentionem factam esse; et vulgatam lectionem, quippe quae aptam reddat sententiam, retinendam censeo: χρόνῳ, tempore, non est, cur nos offendat, considerantes filium minitari, se ita facturum esse, ut male patri eveniat; cfr. sequentia verba καταπλιγήσει et ἀποβήσεται futuro tempore posita, et Nub. 865. — καταπλιγήσει Dindorfius, Cobetus (Var. lect. p. 35) scripserunt pro Porsonii καταπλαγήσει, quod usitatius fuisse videtur; libri fluctuant. Vertit καταπλιγήσει Dindorfius "percelleris", Fritzschius "de salute tua sollicitus eris"; e palaestra ductum suspicantur (cfr. annot. Bl.). ἀποβήσεται vertit Dindorfius eveniet, sc. male, sed plerisque suspectum videtur verbum

idque rectius fortasse quam praegredientia, cum sententiam frigidam, ieiunam, minus Alcibiadi oratori convenientem reddat, et in litteris non raro occurrat (cfr. Eur. Med. finem). Bergkius, quocum consentiunt complures, coniecit ἀποβύσεταί πῃ ita reddens: "verborum tibi flumen aliqua ratione obstruetur", et contulit Plut. 379 τὸ στόμ' ἐπιβύσας κέρμασιν τῶν ῥητόρων (os oratorum obturans); ibi autem de rhetoribus quidem dictum est, neque tamen verbum ex ipsis rhetoribus est petitum; similiter Pac. 644 ἐβύνουν τὸ στόμα; ἀποβύσεται igitur non satis aptum mihi videtur, non tamen codicum scriptura ineptius; ἀποκείσεται supposuit Kockius, nullis tamen rationibus nisus. Ipse nihil, quod plane sententiae loci satisfacit, adhuc inveni. — Ultimos quoque versus emendare studuerunt viri docti: pro καλοκαγαθίαν scribit Bergkius καλοκαγαθεῖν (quod receperunt Cobetus et Kockius) "in extrema postulatione novum aliquod et prorsus inauditum vocabulum"; at minime adfirmare possumus, hos versus extremam postulationem patris et filii continuisse; καλοκαγαθία, ut legunt ceteri ex auctoritate codicum, vocabulum usu non frequens fuisse videtur (ne ipsum quidem e trivio petitum, Fritzsch.), quia a grammaticis non paucis explicatur (Hesych., Phot., Script. Etym. M., Schol. Ran. 556); inusitatum illud, quod a Bergkio requiritur, iam in verbo ὑποτεκμαίρει videre possumus, a Photio notato. — Thrasymachus, quem nominat senex, sine dubio sophista ille erat Chalcedonius, qui una cum Protagora, Gorgia, Prodico a veteribus saepe commemoratus est [1]). — Sed difficillimum fortasse est ultimum verbum, cod. τηρεύεται, τηρύεται. Variae in medium prolatae sunt emendationes: Dindorfius, Brunckium secutus, scripsit γηρύεται (Hesych.

[1]) Cfr. Plat. Phaedr. p. 261 c, 267 c, Arist. Rhet. III, 1, 20, Athen. X, 254, Cic. de Or. III, 32, 127.

γηρύεσθαι· φθέγγεσθαι, λέγειν); Fritzschius θηρεύεται mavult et confert Nub. 358 θηρατὰ λόγων φιλομούσων. Thesm. 156. Latinorum aucupes verborum (Cic. de Or. I, 55 syllabarum); Bergkius legit τερθρεύεται (Gaukeleien oder Blendwerk machen, leeres u. spitzfindiges Geschwätz führen, Passow.), quod quamquam apud posteriores scriptores (Demosthenem, Aristotelem, Plutarchum) imprimis invenitur, ut mihi quidem videtur, sententiae optime satisfacit; minus aptum est θηρεύεται, nam vis verba aucupandi, quae in v. θηρεύειν inest, non eadem est ac subtiliter et captiose dicendi, quod h. l. maxime requiritur, quamquam certo scio has duas significationes simillimas interdum esse posse; etiam γηρύεται defendi potest, sed hoc verbo utens non ita vehementer, ut studet, in ξυνήγορας istos invehitur senex. Aptissimum igitur mihi videtur τερθρεύεται, nisi conicere licet τορνεύεται, quod de genere dicendi et scribendi rhetorum et poetarum putido ac quasi tornato dici solet (cfr. Thesm. 54).

Praeter hoc fragmentum gravissimum ad altercationem istam summa cum probabilitate referri possunt:

a) fragm. II (Athen. XV, 694 a)

ᾆσον δή μοι σκόλιόν τι λαβὼν Ἀλκαίου κἀνακρέοντος.

Metrum, ut in priore parte fragmenti, quod iam respeximus, anapaestum est; haud dubie senex, ut est sententia omnium fere interpretum, spectatis quae apud Homerum, poetarum fontem, didicisset filius ad lyricos poetas eosque, quorum carmina inter pocula recitari vel cani solebant, transiens iuvenem convivia vitamque luxuriosam haudquaquam spernentem adhortatus est, ut ad lyram scolion quoddam more maiorum caneret: minime tamen necesse est, in hac quoque fabulae parte epulas in scaena esse instructas. Ut ex fragm. III concludere licet, cecinit filius, sed male, quam ob rem senex ὁμουσίαν, quam vocabant

Graeci, magnis opprobriis incessivit (cfr. Equ. 986). Sponte in mentem nobis incidit Nub. ille locus, ubi (1356) Strepsiades a filio postulat, ut epulis finitis carmen Simonideum vel Aeschyleum recitet. De arte musica sophistarum sermonibus et garrulitate abiecta poetam mentionem facere etiam Ran. 1493 audimus. Offendit nonnullos σκόλιον singulari numero positum, etsi ad *duos* poetas referatur ("dicendum fuisset Ἀλκ. ἢ .." Blaydes., qui proponit σκόλι' ἄττα vel σκόλιόν τι λ. ἀρχαῖον τἀνακρ.). Sed nihil mutandum opus esse videtur; ut enim τέ — καί et καί — καί pro ἢ — ἢ non raro apud poetas invenitur [1]), ita in καί h. l. inesse fortasse potest significatio "vel" (vel potius), cuius tamen usus nullum aliud exemplum nunc memini.

b) fragm. Kock 199, om. Dind. in ed. Did. (Schol. Hipp. Vatic. p. 212, 3 ed. Daremberg)

σοὶ γὰρ σοφίσματ' ἐστὶν ἁγὼ κτησάμην;
οὐκ εὐθὺς ἀπεδίδρασκες ἐκ διδασκάλου;

Quod varie tentarunt viri docti (v. Kock. p. 441); memorabile imprimis hoc fragmentum est, quod filius pudicus haec verba locutus esse videtur. Legunt Dübn., Dind. — σοφίσματ' εἴ τιν' εἰσηγησάμην, οὐκ κτλ. (puncto post διδ. interpungentes), filium pudicum his verbis a patre compellatum rati; at de patre v. εἰσηγεῖσθαι non satis aptum dici puto, quod de magistro plerumque usurpatur. Scribit Daremberg, minus a codice recedens ἐστίν; — ἐγὼ κτησάμην. — illud pudico, hoc paediconi tribuens, ex quo deinceps quaerit frater οὐκ εὐθὺς κτλ. Quam supra attuli scripturam, ea est Wilamowitzii (Obs. Crit. p. 7): "malis suis artibus gloriatus est paedico, cui pudicus, quibusnam rebus studuerit in urbe paedico, non ignorans: ubi tu discere aliquid

[1]) Cfr. Soph. O. C. 488 αἰτοῦ σύ τ' αὐτὸς κεἴ τις ἄλλος ἀντὶ σοῦ, Schneidewin ad hunc locum, Kühner, Synt. II, § 521, 522.

potuisti? Nam statim a magistro (probo sine dubio, cui a patre traditi erant) profugisti". Quae mihi optima videtur interpretatio ex iis, quae prolatae sunt.

c) fragm. III (Athen. XII, 527 c)

ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ἔμαθε ταῦτ᾽ ἐμοῦ πέμποντος, ἀλλὰ μᾶλλον
πίνειν, ἔπειτ᾽ ᾄδειν κακῶς, Συρακοσίαν τράπεζαν,
Συβαριτίδας τ᾽ εὐωχίας καὶ Χῖον ἐκ Λακαινᾶν.

Pronomen ταῦτ᾽ ad praecedentes versus nimirum spectat, quibus consilium elocutus erat haud dubie pater, cur iuvenem in urbem erudiendum misisset. Mirum est, post verbum πίνειν ad cantum eius epulasque nimias reprehendenda senem transire posteaque vini cupiditatem et intemperantiam iterum notare (Χῖον ἐκ Λακ.); sed nescio an posterioribus illis verbis Χῖον cet. alia quaedam vis quam verbo πίνειν, quod omnino bibendi significationem usurpat, subiecta sit: Χῖον ἐκ Λακ. ipsum luxuriosum atque sumptuosum in potando significare videtur, quam ob rem cum mensa Syracusana et epulis Sybariticis (cfr. Plat. Rep. III, 404 d) proxime coniunctum est; sin autem πίνειν mutandum est, βινεῖν h. l. non ineptum puto (Ran. 740 πίνειν καὶ βινεῖν). Ultimus versus ab Athenaeo etiam XI, 484 adfertur, ubi sequuntur verba κυλίκων μέθυ ἡδέως καὶ φίλως, quae verba iam a Porsonio (in Suppl. ad Praef. Hec.) suspecta habentur, quem secuti sunt Dind., Elmsleyus, Blaydes. Fritzschius autem ea defendere conatur et duas emendandi rationes proponit (videas Fritzsch. p. 85, 86), etiam vocabulum ΛΕΠΑΣΤΗ, quod apud Athen. illa, quae supra attuli, proxime subsequitur, adiungens. Quae tamen coniecturae, ut mihi quidem videtur, non valde sunt probabiles. Nam et λεπαστή et λακαίνη sunt "κύλικές τινες" neque adducor, ut credam duos calices adferri, quo tota vis reprehensionis imminuatur; equidem pro certo habeo,

vocabulum κυλίκων non esse in textum Aristophaneum recipiendum, sed glossam fuisse, quae in textum apud Athen. irrepsit. Kockii coniecturam audacissimam recte improbat Blaydes. (v. Blayd. Add. et Corr. p. 416), qui totum versum interpolatum esse iudicat.

d) fragm. IV (Athen. IV, 184 e)

ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος,
εἶτά με σκάπτειν κελεύεις;

Verba a filio dicta esse videntur, postquam pater gravissima severitate adhortatus est, ut vita molli atque inerti relicta honestam et utilem vitae instituendae rationem sequeretur. Pro κατατέτριμμαι Meinekius Bergkio praeeunte scribit κατατέθρυμμαι, quod utrumque aptissime dicitur. De verbo σκάπτειν animadvertendum est, illud in proverbii consuetudinem venisse: σκάπτειν οὐκ ἐπίσταμαι, cfr. Arist. Av. 1432, ubi Pistethaerus sycophantam interrogat, num iuvenis peregrinos iniuste reos egerit, et hic respondet: τί γὰρ πάθω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι. Hic σκάπτειν et proverbii loco dictum et propriam usurpare significationem videtur (velut Luc. Ev. XVI, 3 σκάπτειν] οὐκ ἰσχύω). Rusticorum vitam imprimis senex filio commendavit luxuriae urbanae ac vanitati maxime oppositam, velut saepissime ruris oblectationes vitamque ibi habitantium incorruptam et salubrem laudare solet Aristophanes: meminerimus, quae dicit Strepsiades in prologo Nubium; Dicaeopolidem in Acharn. Dionysia ruralia celebrantem, Trygaeum et chorum Pac. ruris gaudia summis laudibus extollentes audimus (cfr. Nub. 43 sq., Pac. 569 sq., Equ. 1394).

Haec igitur quinque fragmenta si summa cum probabilitate ad gravissimam illam fabulae partem referenda sunt — etsi dissimiles habent numeros, quo tamen sententia nostra haud debilitatur, quia in compluribus fabulis magna

metrorum varietate Aristophanem usum esse scimus [1]) — fieri potest, ut alia quoque eorum, quae exstant, ex eadem parte desumpta sint. Huc igitur praeter ea, quae iam tractavimus, referri possunt:

a) fragm. V (Athen. IX, 368 e)

καὶ δελφακίων ἁπαλῶν κωλαῖ καὶ χναυμάτια πτερόεντα.

Metrum anapaestum, ut in fragm. II et I vv. prior., invenitur. Laudat Meinekius Heerwerden., qui (Nov. Add. Crit. p. 16) χναυμάτι᾽ ἀττ᾽ ἐρόεντα coniecit. Malunt Kockius et Blaydes. ἱμερόεντα. At iure retineri potest lectio vulgata, quam iam Henr. Stephanus scite interpretatus est "aviculas delicatius apparatas" (neque id Meinekius reiecit). Quae verba patris esse posse mihi videntur, de vita molli ac luxuriosa filii querentis, vel filii istas delicias laudantis; sed etiam ex parabasi sumpta esse possunt, cui opinioni non solum metrum non obstat, sed etiam existimare liceat, parabasin, ut antea attigi, ex parte aliqua ad epulas praecedentes deliciasque in scaena Daetalensibus paratas spectasse: certa diiudicare non audeo, neque mea quidem ad rem, quam mihi proposui, perficiendam magni interest, huc an illuc pertineat fragmentum.

b) fragm. XXIX (Eustath. 1579, 30)

ὦ παρανοία καὶ ἀναιδεία.

Quae senex, opinor, de perversis adulescentis moribus indignatus exclamavit. Apud Eustath. invenimus ὦ προνοία, quod duabus causis firmissimis adducti immutare audemus: verba enim, si quidem continuato ordine posita sunt, metrum requirunt anapaesticum — commemorat Eustath. Aelium Dionys. secutus ultimam eorum produci, penultimam acute

[1]) Cfr. Equ. 242—460, Vesp. 336—760, Pac. 82—658. Inter Babyloniorum fabulae reliquias paucas duo versus heroici, unus tetrameter iambicus, duo tetrametri anapaest. inveniuntur.

notari —; deinde scriptura, quae in codicibus est, miram reddit sententiam: o providentia et impudentia! Quod Eustath. in vocabulo παρανοία ponere debebat, recte fortasse in vocabulum προνοία quoque transferri potest, ut errore ad explicandum perfacili ductus hoc pro illo attulerit. Emendavit Bergkius πορνεία, quod aeque ac παρανοία probandum est. (Blaydes. ἀπονοία, quod tamen magis a tradita scriptura recedit.)

c) fragm. XXV (Athen. VII, 299 et Schol. Theocr. XI, 10)

καὶ λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς, χρυσοῦς ἔχων κικίννους.

Tetram. iambicus non longe a fragm. III distare videtur, neque est incredibile, senem mollitiam filii his verbis denotasse, cum promissam barbam tonsosque capillos ferre viri solerent. Cfr. Vesp. 1069. Quomodo haec verba cum fragm. III conexa sint, manifeste apparet: ut pravam filii vivendi rationem priore loco reprehendit pater, ita his verbis speciem ei effeminatam viroque indignam exprobrat.

d) fragm. VII (Athen. XV, 690 e)

φέρ᾽ ἴδω τί σοι δῶ τῶν μύρων; ψάγδαν φιλεῖς;

ψάγδα, σάγδα seu ζάγδα unguentum erat Aegyptium (Poll. VI, 104); "videtur filius improbus per ironiam fratri de unguentis suis quidquid velit offerre". (Kock.). Sed etiam a servo aliquo haec verba dicta esse possunt, velut fragm. VIII (de vase quodam unguentario), quod ad epulas chori potius referendum est.

e) fragm. IX huc referendum censuerunt Bergkius, Dindorfius, Kockius, Fritzschius; sed causis, quas infra aperiam, commotus ad epulas chori id referri malo.

f) fragm. XIV (Schol. Arist. Equ. 577)

οὐδ᾽ ἔστιν αὐτῇ στλεγγὶς οὐδὲ λήκυθος.

Quibus in verbis explicandis dissentiunt viri doctissimi.

Bergkius αὐτῷ scribit et de filio probo dictum credit; στλεγγίδα ornamentum capitis in modum coronae, vel, ut addit, "instrumentum illud, quo in balneis et gymnasiis ad cutem abradendam usi sint, quodque solitum sit tam eleganter exornari, ut pro ornamento haberi possit", interpretatur, quae ornamenta elegantiora spreverit filius ille pudicus. Sed quid tum λήκυθος? Si filius pudicus his verbis laudatus sit, veri similius est, despicientiam fastidiumque balnearum, quod eum patriis et simplicibus moribus indutum fortasse tenebat, significari. Conferamus Nub. 991: πρὸς ταῦτ', ὦ μειράκιον, θαρρῶν ἐμὲ τὸν κρείττω λόγον αἱροῦ· κἀπιστήσει μισεῖν ἀγορὰν καὶ βαλανείων ἀπέχεσθαι.

Fritzschius contra de parasitis dicta credit, Pollucis (IV, 120) utens testimonio, sed eo loco de media, ut ipse confitetur Fritzsch., comoedia parasitisque illic saepe introductis mentionem facit lexicographus (sic etiam apud Plautum strigiles et ampullae una commemorantur); scholiasta Equ. 577, qui fragmentum servavit, id non respicere videtur, neque opinionem Fritzschii αὐτῇ retinentis et huic versui fragm. XXIV adiungendum consentis intellego. Equidem de improbo filio haec verba dicta puto (αὐτῷ cum Bergkio accipere velim, cum lectio vulgata obscurior mihi videatur et libri valde inter se repugnent): ita est prodigus, ut ne eas quidem res, quae ad cotidianum fere usum pertinent, habeat; vel — nam ita quoque bene explicari possunt — adeo est mollis et effeminatus, ut palaestram — ubi strigilis et ampulla adhibebantur — prorsus neglegat. Ut ex loco Nub. modo allato videmus, iuvenes nova ista disciplina imbuti frequentissime ad balneas ventitabant (cfr. Nub. 1044 sq.); exercitationes autem viriles et gymnasia, quo antiquiores crebro convenerant (Ran. 729: τραφέντας ἐν παλαίστραις καὶ χοροῖς καὶ μουσικῇ), omnino eos deseruisse

docent Nub. 1001, 1055, Ran. 1070, al. Et balneas et gymnasia Herculi sacrata esse scimus (cfr. Nub. 1051, Athen. XII, 6, Hesych.). Si αὐτῇ retinemus, quod tamen minus aptum iudico, forsitan putandum sit, patrem filio vitam effeminatam obicientem ut mulierculam eum derisisse, cui viriles exercitationes plane ignotae essent (cfr. Thesm. 139: τί λήκυθος καὶ στρόφιον; ὡς οὐ ξύμφορον).

Ut in Nub. bona sua sumptuosa filii ac luxuriosa vivendi consuetudine dissipari persaepe et vehementer queritur Strepsiades, idem in Daetal. quoque senem fecisse fragmenta nonnulla indicant. Huc referri potest fragm. XXIV (Poll. IX, 88)

οὐδ' ἀργύριόν ἐστιν κεκερματισμένον —

quod legendum est, ut iam Bergkius vidit, propter exemplum, quod adfert Pollux: — — ἀργύρι' — — κατακεκερματισμένα (in minutias commutata). Hoc — a Fritzschio cum praecedente proxime coniunctum — rei familiaris angustias significare putemus. (Legimus Vesp. 789 διακερματίζειν "in aerea moneta mutare drachmam".) Deinde consideremus fragm. XV (Suid. s. v. ἀναλίσκειν)

εἰς τὰς τριήρεις δεῖ μ' ἀναλοῦν ταῦτα καὶ τὰ τείχη
(.... καὶ αὖθις) εἰς οἷ' ἀνάλουν οἱ πρὸ τοῦ τὰ χρήματα ...

quos inter duos versus continuatam coniunctionem statuit Bergkius, minus tamen verbo Suidae αὖθις quam ipsa sententia quae in versibus inest permotus (idem iam Porsonius suspicatus est). Velut alios permultos virorum Atheniensium optimorum (de Pericle vide Thuc. I, 144, Schol. Ran. 1463) Aristophanem intellexisse summam salutem civitatis in re navali positam esse, ex multis locis nec minime ex Ach. 162 (ὁ θρανίτης λέως, ὁ σωσίπολις) apparet; versui priori Fritzschius fragm. XIX (Poll. X, 158)

εἰ μὴ δικῶν τε γύργαθος ψηφισμάτων τε θωμός

adiungendum censet; cuius ut rationem reddat sententiae, duos, ut mihi videtur, illustrissimos locos ex fabulis Aristophaneis sumptos adfert, ubi queritur poeta, quominus in rem navalem curam impendant Athenienses, cupiditatem litium iudiciorumque maxime impedire, easque copias, quae in classe armanda et nautis exercendis collocandae sint, a iudicibus mercedem frustra consumi. Quos locos perspicuitatis causa adferre non dubito: unus est Ran. 1463 sq., ubi Aeschylus, ex quo paulo antequam ex inferis ascendat quaeritur, quomodo ex miseriis optime eripienda sit res publica Atheniensium, Baccho respondet:

τὴν γῆν ὅταν νομίσωσι τὴν τῶν πολεμίων
εἶναι σφετέραν, τὴν δὲ σφετέραν τῶν πολεμίων,
πόρον δὲ τὰς ναῦς, ἀπορίαν δὲ τὸν πόρον —

hic autem monet

εὖ, πλήν γ' ὁ δικαστὴς αὐτὰ καταπίνει μόνος.

Alterum locum respiciamus Pac. 503 sq., ubi Mercurius contendentibus illis, ut deam pacificam ex antro profundo liberent, dicit:

καὶ τοῖς Ἀθηναίοισι παύσασθαι λέγω
ἐντεῦθεν ἐχομένοις ὅθεν νῦν ἕλκετε·
οὐδὲν γὰρ ἄλλο δρᾶτε πλὴν δικάζετε.
ἀλλ' εἴπερ ἐπιθυμεῖτε τήνδ' ἐξελκύσαι,
πρὸς τὴν θάλατταν ὀλίγον ὑποχωρήσατε.

His ipse locos nonnullos addere volo, qui studium rei navalis neglectum cum iudiciali furore coniungunt: Equ. 1351 (εἰ δύο λεγοίτην ῥήτορε, ὁ μὲν ποιεῖσθαι ναῦς, ὁ δ' ἕτερος αὖ καταμισθοφορῆσαι), Vesp. 1094 sq. (οὐ γὰρ ἦν ὅπως τότε συκοφαντῆσαι φροντίς, ἀλλ' ὅστις ἐρέτης ἔσοιτ' ἄριστος), Av. 108 (ποδαπὼ τὸ γένος; — ὅθεν αἱ τριήρεις αἱ καλαί. — μῶν ἡλιαστά;) Et mihi quidem persuasum est, fragmenta illa, si

non proxime coniuncta sint, at tamen arte inter se cohaerere posse.

Cum pater a moribus filii insectandis ad publica mala consideranda atque deploranda sermonem transferret, vix fieri potuit, quin ad iudicialem illum furorem, quem iam respeximus, maestissimus imprimis animum attenderet. Calumniatorum, causidicorum, sycophantarum quasi ordinem, qui in istis δικῶν γοργάθοις et ψηφισμάτων θωμοῖς praecipue versabantur, in dies magis vi et frequentia crescentem Athenis illis temporibus exstitisse, nemo est qui nesciat. Nec raro Aristophanes infamem eorum protervitatem malitiosasque artes aggreditur: conferas velim Vespar. permultos locos, ut 508, 660, 800 sq., Eq. 1317, ubi omnibus ordinibus regeneratis τὰ δικαστήρια συγκλῄεσθαι primum iubet Demus, Nub. 1429, Av. 41, 1468 (στρεψοδικοπανουργία), Plut. 878 sq. [1]). Frustra tamen summopere enitebatur, ut impudentiam istorum atque libidines coerceret; rectissime de munere suo iudices furentes impugnandi confessus est Vesp. 650:

χαλεπὸν μὲν καὶ δεινῆς γνώμης καὶ μείζονος ἢ 'πὶ τρυγῳδοῖς,
ἰάσασθαι νόσον ἀρχαίαν ἐν τῇ πόλει ἐντετοκυῖαν.

Filium tabularum Solonis peritum et subdolum haud dubie iuris interpretem in nostra fabula fortasse respexit senex fragm. XX (Phot. et Suid. s. v. σεῖσαι)

ἔσειον, ᾔτουν χρήματ', ἠπείλουν, πάλιν
ἐσυκοφάντουν.

Codices ἐσυκοφάντουν πάλιν praebent; legunt plerique, ut Brunckius, Porsonus, Fritzschius, ut fiat senarius, πάλιν — ἐσυκ. Bergkius autem, quocum Kockius facere videtur, πάλιν prorsus omittit, perperam iteratum existimans ab

[1]) Vide supra p. 37.

ultimis syllabis verbi praecedentis ἠπείλουν. Si ceterorum recipimus scripturam, verba "πάλιν ἐσυκ." haud dubie interpretanda sunt, cum ἔσειον (calumniatores erant) subsequantur, "novas excogitabant calumnias", quod quidem aptam reddit sententiam. Si scripturam codicum retinemus — quae cur prorsus refellenda sit, equidem non video — tetrametrum iambicum audimus, velut in fragm. XV, XIX.

De re publica nobis agentibus considerandum est fragm. XXVIII, (Phryn. p. 91, Thom. Mag. p. 27)

καὶ κόσκινον ἠπήσασθαι.

De verbo ἠπήσασθαι, *sarcire*, grammaticus disputans commemorat Aristophanem illud in Daetal. adhibuisse, παίζοντα τὰς Ἡσιόδου ὑποθήκας. Fragmentum sine dubio ultima continet verba versus heroici, qui in comoedia ad oraculum exprimendum maxime usurpatur (velut Equ. 1010); cum dicat scholiasta ad Equ. l. c. τοῦδε δὲ τοῦ χρησμοῦ (αἰετός κτλ.) οὐ μόνον ἐνταῦθα, ἀλλὰ καὶ ἐν Ὄρνισι καὶ ἐν Δαιταλεῦσι μέμνηται, quid certius credamus quam hexametrum, cuius partem hic legimus, unum esse ex iis, qui illud oraculi responsum reddiderint? De Hesiodi ὑποθήκαις notatum est, Phrynichum, quia carmen Hesiodeum Ἔργα vulgo inscribitur nec versus eius inveniri potest, quem his verbis imitatus est Aristophanes, Χείρωνος ὑποθήκας sine dubio intellexisse, quae a multis iam antiquiore aetate Hesiodo tribuebantur; Χείρωνος ὑποθήκας Pherecrates quoque, poeta comicus paulo ante Aristophanem natus, ut ex Athen. VII, 364 cognoscimus, ludibrio habebat. Oraculum hoc utrum ab haruspice aliquo an — velut in Equ. — ab aliquo ex ceteris fabulae personis enuntiatum sit, haud potest diiudicari. In fabulae partem, quae iniquum rei publicae statum respicit, nescio an inseri possit.

Iam ad ea fragmenta tractanda transeamus, quibus

iudicium illud, de quo supra disputavimus, agnoscere nobis licet. Primum, quod eius rei mentionem facit, est fragm. XVI (Harpocr. s. v. ναυτοδίκαι)

ἐθέλω βάψας πρὸς ναυτοδίκας ξένον ἐξαίφνης [σ᾽ ἀποφῆναι].

Codices exhibent ξένην; de verbo βάψας Suidas: τὴν κώπην, item Hesychius. πλεῖν, quod recepit Dindorf., probare non audeo; nam explicat Hesych.: βάψας· δεύσας, πλεύσας, quam ob rem dubitare liceat, num Aristophanes reapse voci βάψας infinitivum πλεῖν subiecerit. Fritzschius, qui ad hoc fragmentum emendandum multa nec spernenda contulit, legit — — — ξένον — — σ᾽ ἀποφαίνειν (Kockius ἀποφῆναι) ita interpretans: "statim abiero ad iudices nauticorum, ut malo adulescenti peregrinitatis atque νοθείας litem intendam". Fritzschium patrem τὸν διώκοντα esse existimare iam commemoravimus; sed etiamsi contrariam sententiam amplectimur, coniectura Fritzschii probari potest, quoniam bonam omnino reddit sententiam neque longe a scriptura codicum recedit; de verbo ἀποφαίνειν, litem intendendi vim habente, vide Ran. 845, Vesp. 1028. In codicibus ξένην quidem, non ξένον scriptum invenitur, quod tamen, ut iam monet Hermannus, emendandum est, non eiciendum. — ναυτοδίκαι duplici fungebantur munere, ut nautarum lites diiudicarent et iis, qui aliquem accusavissent ipsive accusati essent peregrinitatis, ius dicerent [1]). Haec duo munera ea maxime ratione coniuncta esse videntur, quod ante omnes nautae (et mercatores) saepissime in civitatem se insinuabant. Hibernis solum mensibus, quia tum navigationem intermitti opus erat, negotium administrasse videntur (Ga-

[1]) Vide Suid.: ἄρχοντες ἐπὶ τοῖς ναυκλήροις δικάζοντες. Hesych. οἱ ἐπὶ τοῦ ἐμπορίου δικασταί, ὑφ᾽ ὧν καὶ αἱ τῆς ξενίας ἐκρίναντο δίκαι. Meier, Att. Process. 83 sq., K. F. Hermann, Griech. Ant. I, 562, Schoemann, Zur Verfassungsgesch. Athens, p. 47 sq.

melione igitur mense, quo nostram fabulam — Lenaeis — exhibitam esse putemus, ius dicebant). Quomodo Kockius, cuius de iudicio opinionem supra attigi, verba "βάψας πρὸς ναυτοδίκας" interpretanda censeat, mihi perobscurum est [1]). Nautodicas autem in iis litibus diiudicandis causam exquirere tantummodo solitos esse, legitimum iudicium heliastis concessisse ex nonnullis veterum testimoniis colligi licet [2]).

Hi iudices heliastici commemorantur in fr. XVIII (Harpocr. s. v. κιγκλίς)

ὁ δ' ἡλιάστης εἷρπε πρὸς τὴν κιγκλίδα.

Quae verba Fritzschius (probante Kockio) aliquem causa iam dicta locutum esse existimat et narrationes eas comparat, quae ἀγγελικαὶ ῥήσεις dicuntur quaeque apud tragicos usitatissimae consuetudini comoediae antiquae tragici usus per ludibrium imitandi apte convenire videntur. Cfr. Av. 1122 et 1170 sq., ubi nuntius alter murum Νεφελοκοκκυγίας exstructum esse, alter vero Iridem per portas clam excubiis involasse narrat; Acharn. 1174, Eccl. 834.

Etiam fragmenta nonnulla ad iudicium pertinentia addenda sunt; ante omnia fragm. XVII (Harpocr. s. v. ἐπίπεμπτον)

ἢν μὴ μεταλάβῃ τοὐπίπεμπτον, κλαέτω —

quae verba pater nimirum de filio accusatore loquitur; delatorem, si ne quintam quidem suffragiorum partem tulisset, mille drachmis multatum esse constat [3]). Opinionem

[1]) "Cum is qui loquitur *navigare* se velle ad nautodicas dicat, nescio nisi forte accusatur ξενίας ut ἐν Φρεαττοῖ ex navi causam agebat." At quod in Phreatto — ubi caedis causae cognoscebantur — constitutum erat, nullo modo ad nautodicas quoque transferri potest. βάψας h. l. comica videtur esse locutio.

[2]) Cfr. Meier l. c. ("nur εἰσαγωγεῖς"); Corp. Inscr. Att. I, 29 (οἱ ν. τὸ δικαστήριον παρεχόντων); Alexanderson-Knös, Grek. Fornkunskap, p. 305.

[3]) Cfr. Phot. p. 597, 1; Plat. Apol. 36 b; Schoemann, Griech. Alt. I, 499.

Fritzschii, quinque illos comoediae iudices hoc loco designari, satis erit commemorasse. Huc fortasse adnumerandum est etiam fragm. XXII (Suid. in Αἰγέα)

τὸν Ἐρεχθέα μοι καὶ τὸν Αἰγέα κάλει —

cum ad verbum κάλει haud dubie μάρτυρας subaudiatur; id quoque pater, cum ξενίας accusatus esset, quo erat stupore perturbatus, dicere potuit: testes iustae meae Atticae civitatis illos antiquos reges adhibeo (de Erechteo etiam Equ. 1022). — Ad hanc partem denique referri potest fragm. XXI (Athen. III, 119 c)

οὐκ αἰσχυνοῦμαι τὸν τάριχον τουτονὶ
πλύνων ἅπασιν ὅσα σύνοιδ' αὐτῷ κακά.

Vocabulum τάριχος, de quo disputat Athenaeus, significare *hominem nequam* iam vidit Casaubonus (*salsamenta* enim inter vilissimos cibos erant habita, cfr Vesp. 491). In verbo πλύνειν hic, ut saepe alias, exprobrandi, maledictis perfundendi vis inest; perbene conferri potest Acharn. 379 sq. [1])

εἰσελκύσας γάρ μ' εἰς τὸ βουλευτήριον . . .
κἀκυκλοβόρει κἄπλυνεν . . .

ubi eodem modo de accusatione agitur. Sic etiam hoc loco suspicari possumus; at nulla est causa, cur his verbis adducti patrem delatorem esse statuamus; nam nostra est opinio, patrem a filio quidem in ius vocatum ei obicere non dubitare omnia κακὰ ὅσα σύνοιδ' αὐτῷ; tamen apparet, non *necessario* hanc ad partem verba illa trahenda esse.

Cum iam ad ea fragmenta transgredimur, quae ad priorem fabulae partem — convivium Daetalensium — referenda sint, multo breviores plerumque esse possumus, quia haec pars, ut antea ostendimus, minorem omnino habet

[1]) Cfr. Plut. 1061 πλυνὸν ποιεῖν conviciis perfundere.

vim nec saepe, quid in fragmentis vere insit quove spectent ea, perspicuum nobis videtur.

Primum igitur fragmenta aliquot huc referre liceat, quae ad epulas, mensas paratas, coquinariam artem pertinent, quamquam concedendum est eorum multa fortasse ex parte posteriore, si quidem senex quoque cum filiis epulatus sit (vide ad fragm. II), deprompta esse posse. Fragm. VI (Athen. XIV, 646 b)

ἐγὼ δ᾽ ἰὼν
πέμψω πλακοῦντ᾽ εἰς ἑσπέραν χαρίσιον.

Legit Fritzschius — recte fortasse — πέψω et comparandi causa verba profert Athen. XV, 688, ex fabula quadam Eubuli sumpta: ἐξεπήδης᾽ ἀρτίως πέττουσα τὸν χαρίσιον (confert, ut codicum Athenaei scripturam explicet, λήμψομαι pro λήψομαι non raro scriptum in vetustis membranis). De χαρισίῳ Suidam audiamus: καὶ χαρίσιον πλακοῦντος εἶδος· οὕτως Ἀριστοφάνης. Haec verba a coquo vel servo aliquo dicta crediderim. — Fragm. XII (apud Poll. X, 109 servatum)

οὔκ, ἀλλὰ ταῦτά γ᾽ ἐπίχυσις τοῦ χαλκίου —

quae ἐπίχυσις τοῦ χαλκίου, infundibulum aeni, ab ipso grammatico ἓν τῶν τοῦ μαγείρου σκευῶν explicatur — et fragm. XIII (Phot. 606, 20)

ταχὺ νῦν πέτου καὶ μὴ τροπίαν οἶνον φέρε —

ubi τροπίας οἶνος vappae, vappescentis significationem habet, utrumque a convivis servo alicui dictum esse puto. — Etiam fragm. XXVI (Athen. IV, 169 c)

κἄγειν ἐκεῖθεν κακκάβην —

eodem spectat; κακκάβην idem esse atque χύτραν ipse dicit Athenaeus; quod σκεῦος μαγειρικόν Athen. l. c. et Poll. X, 106 testantibus Aristophanes in illa quoque comoedia,

quae Σκηνὰς καταλαμβάνουσαι inscribitur, commemorat. Mul. Sc. Occ. fragm. VII ed. Didot.:

τὴν κακκάβην γὰρ κᾶε τοῦ διδασκάλου.

Et si Phrynichi sequimur auctoritatem (Epit. p. 427), in Daedalo quoque Aristophanes hanc vocem usurpavit; sed Daetalenses scripsisse grammaticum et propter similitudinem nominum errorem exstitisse, multi sunt qui censeant. — Nobis huius modi fragmenta tractantibus deinde memorandum est fragm. XXXI (Gramm. Bekk. 427, 3): ἀποβροχθίσαι· τὸ καταπιεῖν· (ὡς ἡμεῖς Ἀριστοφάνης Δαιταλεῦσιν ἐχρήσατο), quod hic significationis verbi causa adferimus. Hoc Fritzschius in eorum numero fuisse contendit, quae ad bona dirimenda ac quasi devoranda spectant, et tres loci ab illo adferuntur, ubi Aristophanes hoc verbo usus est — Equ. 357 et 824, ubi tamen proprium suum sensum retinere videtur; Av. 503 ὀβολὸν καταβροχθίσαι: sed ibi quoque proprio quodam sensu usurpatum est (cum quis milvum vidisset). Tum meliores sequimur rationes, si cum verbo καταπιεῖν, quo explicatur illud, comparamus versum Ran. 1466 ὁ δικαστὴς καταπίνει μόνος.

Ad convivium referri potest etiam fragm. VIII (Poll. X, 119)

τῆς μυρηρᾶς ληκύθου
πρὶν κατελάσας τὴν σπαθίδα γεύσασθαι μύρου.

Aristophanem in Daetalensibus dixisse ἄγγη μυρηρά (vel μυροφορικά) paulo supra commemorat Pollux [1]). Explicat σπαθίδα Phot. p. 529 τὴν τῶν μυρεψῶν σπάθην· οὕτως Ἀριστοφάνης. Verbis τῆς μυρηρᾶς cet. Fritzschius praeponit ἀπέχου (Ran. 1224 ἀπέχου τῆς ληκύθου) et ita reddit: "abstineas a vase unguentario, priusquam rudicula intincta

[1]) Num haec Pollucis verba e Daetalensibus derivata sint, dubitat Fritzschius (Hemsterhusium secutus) v. p. 67.

unguentum gustare rite possis". Coniciendum est aliquid ante τῆς μοχθηρᾶς ληκύθου. sed cur Fritzschio assentiamur, non satis esse causae arbitror, quia in Ranis alia quaedam — scilicet cavendi — vis huic verbo subiecta est. Melius fortasse Kockius supplendum esse ἀλλ᾽ οὐ δυνήσει (κατελάσαι cum Brunckio et Bergkio legit) opinatur: "non poteris nisi fortiter immissa in vas unguentarium spatha unguentum gustare". Haec verba servo alicui tribuenda esse suspicantur Fritzschius et Bothius. Cfr fragm. VII.

His ascribere velim fragm. X (Athen. III, 127 c)

ἢ χόνδρον ἕψων, εἶτα μυῖαν ἐμβαλὼν
ἐδίδου ῥοφεῖν ἄν.

Quibus in verbis quid vere insit, non facile est intellegere: filium nequam significari, non causa esse videtur, cur opinemur; e prologo sumpta esse ea putat Dobraeus: quibus causis sententiam comprobare velit, nescio. Bergkius in episodium suum scurrile versus inserendos censet; equidem nescio an ad convivium chori quodam modo pertinere possint.

Etiam fragm. XI valde est dubium et obscurum; legitur apud Athen. IX, 400 a ex Tryphone sumptum

ἀπόλωλα· τίλλων τὸν λαγὼν ὀφθήσομαι.

Quibus de verbis disserit Fritzschius p. 104: "leporem dicit marinum, animal venenatum tam in potu quam in cibo dari solitum, quod nefarius servus mali filii instinctu strinxit et pelle nudavit; nunc demum intellegitur, cur perditus coquus exclamet: perii, quippe qui in eo esset, ut deprehenderetur". Quae cum certis argumentis non probaret et contra morem in brevia eam disputationem conferret, nemini, quantum scio, ita se rem habuisse persuasit. Et mihi quidem — si paululum de his rebus existimare possim — parricidium illud, quod statuit Fritzschius, saevum

tragoediae ingenium magis quam comoediae iocum redolere videtur. Proverbium fuisse τίλλειν τὸν λαγών de re inutili usitatum opinatur Kockius. Forsitan hoc quoque a ministro aliquo convivarum dictum sit.

Proximum est, ut de fragm. IX pauca disputem. Legitur apud Athen. (XV, 667): ἕτερον δ᾽ ἐστὶν εἶδος παιδιᾶς τῆς ἐν λεκάνῃ· ... ἀνῃρεῖτο δὲ τὰ κοτταβεῖα ὁ πλείω καταδύσας ... τὸ δ᾽ ἆθλον Ἀριστοφάνης Δαιταλεῦσιν· ἔγνωκ᾽ ἐγὼ δὲ χαλκίον τοῦτ᾽ ἔστι κοτταβεῖον ἱστάναι καὶ μυρρίνας. Quod fragmentum expeditu difficillimum multum vexavit viros doctos, et liceat mihi Fritzschii verbis uti: "non lubet mihi in his tenebris nunc quidem diutius versari". Censuerunt permulti, ut Schweigheuserus, Jacobsius, Dindorfius, Meinekius, Kockius verba τοῦτ᾽ ἐστὶ κοτταβεῖον non ab Aristophane, sed e scholiastae vel ipsius Athenaei interpretatione esse profecta; Fritzschius autem et Bergkius ea in textum Aristophaneum recipienda esse putarunt. Coniecit Fritzschius

ἔγνωκ᾽ ἔγωγε· χαλκίον τοῦτ ἐστὶ κοττάβειον,
τὸ δ᾽ ἆθλον ἱστάναι [σε χρὴ] καὶ μυρρίνας ⏑ — ⏓.

Reddit versus: "teneo equidem; est hoc vas, *cottabi ludo destinatum*, sed praemium te oportet constituere et myrtorum ramulos [apponere]". Locutum haec esse putat senem, "qui ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ἔμαθε κτλ. supra questus erat, quocum hoc fragmentum et metri et sensus necessitudine convenit" (vide Fritzsch. p. 96). κοττάβειον igitur adiective sumit, sed adiectivum a nomine κοττάβου derivatum est κοτταβικός (Athen. XV, 668 a ex Hermippo), κοττάβειος nusquam invenitur. Altera quoque causa est, cur Fritzschii coniecturam minus probabilem iudicemus. Cum enim paulo supra dixisset Athenaeus, praemium (τὰ κοτταβεῖα) reportare eum, qui plurima ὀξύβαφα demersisset, veri simillimum est

eum de τῷ ἄθλῳ disputantem vocabulum κοτταβεῖον eodem sensu atque antea adhibuisse ita, ut praemium ludi posteriore quoque loco significaret. Quod mihi non solum Fritzschii opinioni videtur obstare, verum etiam eorum, qui κοτταβεῖον in sensum pelvis aeneae, in qua ludus exercebatur, accipiendum voluerunt. Bergkius scribendum censuit

ἔγνωκ᾽ ἐγὼ δὲ χαλκίον
τοῦτο γ᾽ ἐς τὸ κοτταβεῖον ἱστάναι καὶ μυρρίνας —

ita ut χαλκίον praemium victori ludi cottabi constituitur; ab eadem fabulae parte atque fragm. IV (ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κτλ.) haec verba desumpta suspicatur; quod probat Dindorfius, quamquam hic, ut modo attuli, verba τοῦτ᾽ ἐστὶ κοττ. expungit. Kockius, cui etiam verbum ἱστάναι suspectum est, reddit locum: "frater" (loquitur filius improbus) "nescio quas ineptias didicit (ἔγνωκ᾽); ego vero multo utiliora, cottabi ludum scoliorumque cantum". Haud longe aliter Meinekius interpretandum censet (v. ad Athen. T. IV p. 323). Ac mihi quidem venia detur, si in tanta verborum rerumque obscuritate ducem, quem potissimum sequerer, nondum invenerim. Hoc solum colligi posse mihi videtur: cum ex aliis antiquorum testimoniis, tum ex verbis Athenaei paulo ante Aristophanea illa allatis (XV, 667): καὶ Πλάτων δ᾽ ἐν τῷ Διῒ τῷ κακουμένῳ· παρακελεύεται δέ τις τῷ Ἡρακλεῖ μὴ σκληρὰν ἔχειν τὴν χεῖρα μέλλοντα κοτταβίζειν (cfr. Fragm. Com. Gr. ed. Didot p. 229) — apparet, ludum illum cum cultu Herculis coniunctum esse [1], quare haud inepte in partem fabulae, ubi Herculis parasitorum praecipuae fuerunt partes, hoc fragmentum inserere

[1] Fritzsch. p. 97: "necesse est ad Herculem peculiari quadam ratione attinuerit ille (lusus), propterea quod Plato Com. ea in fabula, unde quidquid hodie restat fragmentorum, ad cottabi ludum tantum non omne redit, Herculem ad partes vocari iusserat."

mihi videor. Minime tamen ignoro, ludum illum eius modi voluptatibus nonnumquam adnecti solere, quibus iuvenis impudicus flagitiose indulserit, velut Nub. 1056 παίδων, γυναικῶν, κοττάβων, ὄψων, πότων, καχασμῶν, Pac. 344 ἑστιᾶσθαι, κοτταβίζειν, συβαρίζειν (cfr. fr. III Συβαριτίδας εὐωχίας) neque opinionem eorum prorsus impugno, qui ea de causa haec verba ad filium vitae luxuriosae deditum vel patrem mores eius castigantem pertinuisse censuerunt. Sed quia cottabo *post cenam* epulones saepissime lusisse testatur Athen., alteram causam ad chorum nostrum eiusque convivium aptissime huius fragm. referendi nanciscimur; epulis autem num senex cum filiis interfuerit, non exploratum habemus. De cottabi ludo pauca tantum scriptum reliquerunt antiqui; delego ad Athen. XV, 665—668; Amipsias comicus fabulam docuit, quae Ἀποκοτταβίζοντες inscripta est cuiusque exstant reliquiae perpaucae (v. Fragm. Com. ed. Didot p. 264). De scriptura fragmenti ac metro ipse nihil in lucem proferam, non quod non opus sit diligenti emendationis conatu, sed quia acervum coniecturarum magis minusve incertarum augere vereor, quam ob rem si quis haec accuratius perscrutari velit, eorum disputationes inspiciat, quos his rebus obscurissimis expediendis operam dedisse commemoravi.

Cetera iam fragmenta, quae a scriptoribus antiquitatis ex hac fabula excerpta sunt, brevissime respiciamus. Ex quibus unum tantummodo exstat, quod totum versum continet. Est fragm. XXIII (Schol. Theocr. II, 12)

τί δαί; κυνίδιον λεπτὸν ἐπρίω τῇ θεᾷ
εἰς τὰς τριόδους;

De quo permulta Fritzschius disseruit, vix tamen me iudice satis probabilia. Catulum illum album (λευκόν aliquot codicum recepit) cum Cynosarge, cuius in templo Herculis

chorum, ut antea animadvertimus, epulari existimat, coniunxit: quorsus autem tum verba τῇ θεᾷ pertineant, me nescire confiteor, neque id Fritzschius explanavit se suspicari dicens "verba senis esse, valde, ut plerumque illi, religiosi". De epulis Daetalensium in delubro Cynosargis celebratis longissime disputans Fritzschius audacius nec satis firmis argumentis nisus res commiscuisse videtur, quae, licet obiter intuentibus similitudinem quandam praebeant, non ideo tamen proxime sunt connectendae. Quem ad modum igitur sententiae suae causam peregrinitatis capitisque deminutionis, quam in fabula cognitam esse vidimus, succurrere opinatur [1], quoniam spurios filios atque peregrinos in gymnasio Cynosargis exercitos esse constat, ita originem, quae ferebatur, nominis Cynosargis, quam, ut alios omittam, tradunt Steph. Byz.: κυνόσαργες· γυμνάσιον ἐν τῇ Ἀττικῇ καὶ δῆμος ἀπὸ Διόμου — καὶ κύων λευκὸς ἁρπάσας τὰ μηρία εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἤνεγκεν. Eustath. 1430, 56 — ad hoc fragmentum explicandum adhibet. At — praeterquam quod comprobata Fritzschii opinione vocabula τῇ θεᾷ difficilia sunt intellectu — primum valde est suspectum illud λευκόν, cum codices Theocritei et λευκόν et λεπρόν exhibeant: deinde grammatici nonnulli, inter quos est Hesychius, a *celeritate* canis nomen Cynosargis trahendum censuerunt (cfr. Homericum πόδας ἀργός); tum in dubium vocari potest, albine catuli Hecatae sacrati fuerint. Recentiores, quid in his verbis inesse putarent, non aperuerunt: Bergkii coniecturam λεπτόν Kock. et Blayd. receperunt, quibus equidem assentior: macrum enim catulum fameque peremptum, qui Hecatae immoletur, idoneum esse quis neget? (Bothius coniecit λαμπρόν, quod merito nemo

[1]) vide p. 18.

comprobavit). Utcumque autem res se habet, me haec verba non plane ac dilucide perspexisse concedo neque quis ea locutus sit statuere audeo: avulsum magis atque a ceteris disiunctum hoc fragmentum nobis occurrit quam quae supra tractata sunt [1]). De canibus Hecatae sacratis vide etiam fragm. inc. 49, ubi versus quidam Euripidei irridentur, Ovid. Fast. I, 389 sq.

Reliqua quae exstant fragmenta omnia perexigua sunt neque quicquam ad fabulam diligentius cognoscendam lucis adferunt. Quae igitur cum enumeranda sint, non longam disputationem desiderant. Instrumenta musica commemorant fragm. XXXIV (Poll. VII, 153) Ἀρ. ἐν Δαιτ. καὶ λυρωνίαν που λέγει et XXXVIII (Athen. IV, 183 e) μνημονεύει δὲ τοῦ τριγώνου Ἀρ. ἐν Δαιτ., quae ex ea fabulae parte, ubi de lyriis et tibiis mentio facta est (fragm. IV), fortasse sunt repetenda (est hoc tamen valde incertum). Ad res militares duo spectant: fragm. XLI (Harpocr.) θῆτες· ὅτι δὲ οὐκ ἐστρατεύοντο εἴρηκε καὶ Ἀρ. ἐν Δαιτ. et fragm. XLII a (Schol. Vesp. 819) εἶχον δὲ καὶ οἱ ἥρωες πανοπλίαν. καὶ δῆλον ἐκ τῶν Δαιτ.: hoc fortasse ad Herculem pertinet, illud vero ad eam partem, ubi senex rem publicam considerat, referri potest. Fr. XXVII (Phot. p. 313, 14) ὀαὶ τῶν ἱματίων· Ἀρ. ἐν Δαιτ. ὅτε τὰς ὀὰς ἴσας ἐποιήσατο: quod fragmentum nemo adhuc satis explicare potuit neque id ad meum propositum magni esse momenti arbitror; vide Fritzsch. p. 130, Kock. ad hoc fragm. Fragm. XXXII (Poll. X, 172) θυλακίσκον (cfr. Ran. 1203), fragm. XXXIII (Antiatt. Bekk., p. 104, 28) κλινάρια commemorant: illud fortasse ad epulas referendum est. Fr.

[1]) Cum *emendi* in hoc fragm. mentio fiat, animadverti potest cum Herculis religionibus etiam *mercatum* fuisse coniunctum; vide Dettmer l. c. p. 39.

XXXIX (Poll. VII, 168) ἐψυχρολουτρήσομεν ad altercationem illam pertinere potest: moribus filii sodaliumque eius effeminatis virilem maiorum ac fortem vivendi rationem opponit pater (cfr. Nub. 1027 sq.). Fragm. XL (Schol. Ach. 271) ὡρικὸν δὲ μειράκιον καὶ κόρη. fragm. XXXVII (Suid.) ῥαγδαίους nihil nobis disputandi materiae praebent. De fragm. XXX ἐν ἁλιπέδῳ (ἐπ' Fritzsch., Kock.) verba ipsius lexicographi adferantur: ἔστι δὲ κοινῶς τόπος ὃς πάλαι μὲν ἦν θάλασσα, αὖθις δὲ πεδίον ἐγένετο· ἔστι γὰρ οἷον ἁλὸς πεδίον. Fragm. XXXV (Phot. 291, 16) νεβλάρεται cum re quadam obscena a Fritzschio coniungitur, cuius tamen sententiae causas equidem non video; multo melius de hoc verbo Kockius disputavit [1]). Fragm. XXXVI (Phot. p. 350, 10) ὄρτυγας — καὶ τὸν ὀρτυγοκόμον sine dubio scribendum est ὀρτυγοκόπον (Fritzsch., Kock.), qui ὀρτυγοκοπίᾳ ludit, cfr Beck. Charicl. I, 385, Schol. Arist. Av. 1298 et praeterea cottabi ludum in fragm. IX commemoratum, quam ad fabulae partem hoc quoque forsitan referendum sit. In postremo denique fragmento (XLII b, Schol. Luc. Alex. c. 4) Aristodemus quidam nominatur, qui a Cratino quoque in Panoptis irrisus πρωκτός appellatus est (μιαρὸς καὶ καταπύγων εἰς ὑπερβολήν); ceterum ignotus est.

Haec omnia fragmenta a scriptoribus antiquitatis ad Daetalenses Aristophanis expressis verbis relata sunt; mihi ea quoque pervolutanti, quae sine fabulae mentione Aristophani scriptores tribuerunt, quorum idcirco multa e Daetalensibus sumpta esse possunt, unum alterumve cum iis rebus, quae in Daetalensibus tractantur, perbene convenire visum est.

[1]) "In primis litteris non dubito quin barbari instrumenti musici nomen lateat ἡ νάβλα, ὁ νάβλας, Strabo X, 71, Soph. fragm. 764 Nauck., Athen. IV, 175, Hesych., Phot., Suid. εἶδος ὀργάνου (μουσικοῦ), Ovid. Art. Amator. III, 327. In Daetalensibus autem magnas fuisse artis musicae partes constat (?)" cet. (Kock. p. 453).

Sed etsi haec inter notissimas Aristophanis fabulas haud dubie fuit, quod ea quae exstant fragmenta — si cum ceteris conferuntur, non pauca — certe indicant, ex plerisque tamen ad incertas fabulas pertinentibus — a Photio, Polluce, Athenaeo, Eustathio, Etym. M. scriptoribus, Stephano Byzant., Clemente Alex., scholiastis antiquioribus ob insolitam verborum structuram vel propriam quandam locutionem imprimis adnotatis — nihil fere colligi potest, praesertim cum plus centum quinquaginta singulas modo aut binas voces comprehendant et ad ea plurima spectent, quae in omnibus antiquis comoediis inveniuntur, ut cenas, vulgaria ioca, sententias rem publicam respicientes obscurissimas. A Fritzschio nonnulla e Daetalensibus fluxisse putantur (vide Fritzsch. p. 59, 80, 99, 110), sed hae coniecturae viri illius magis ad arbitrium factae quam probabilitatis speciem prae se ferre mihi videntur. Ex magna fragmentorum copia unum solum e Daetalensibus depromptum esse crediderim: fragm. inc. XLIII (Eustath. 959, 41)

οὕτω παρ' (γὰρ Dobr.) ἡμῖν ἡ πόλις μάλιστα σῶς ἂν εἴη —

de re publica Atheniensium a sene dictum, cuius statum deplorat remediaque proponit; cfr fragm. Daet. XV, ubi similes numeros invenimus, et miror, neminem eorum, quos adii, commentatorum, quamvis ad incerta pro certis habenda nimis omnino inclinatos, haec verba seni nostro tribuisse [1]). Sed hunc coniecturarum campum deseramus, ubi alii quidem sollertia atque inveniendi facultate praediti se exerceant, nos tamen ad certum finem numquam perventuri esse videmur.

[1]) His iam conscriptis animadverti Fritzschium quoque (p. 133 adnot.) hunc versum e Daetalensibus petitum esse censuisse. Sic vir ille acutissimus omnes undique reliquias investigavit, quae ad Daetalenses aliqua ratione pertinere possunt.

Addendum.

De parte comoediae antiquae, quae ἀγών dicitur (Vesp. 533) *Th. Zielinski* (Die Glieder. d. Altatt. Komödie, Leipz. 1885) copiosissime disputavit. Quem si sequimur, in omnibus comoediis antiquis hanc partem discernere possumus, licet saepe non satis perspicua sit. Insignitus est imprimis ἀγών ille omni actione intermissa [1]). Cum omnino in comoedia antiqua ipsa actio fabulae — contra rationem novae illius non minus quam nostrorum temporum comoediae — minoris esset momenti, cogitata quaedam semper persequebatur comicus, quae certamine inter duas fabulae personas contrarias defendentes sententias exorto maxime illustrabantur. Sic in Equ. Cleonem et Agoracritum, in Nub. λόγον δίκαιον et λ. ἄδικον, in Vesp. Philocleonem et Bdelycleonem, in Lys. Lysistraten et Provisorem, in Ran. Aeschylum et Euripidem, in Plut. Chremylum et Paupertatem singularia inire videmus certamina, quibus cogitata, quae in fabulis proponit poeta, explicatius aperiuntur. Respondet hic ἀγών καταστροφῇ illi tragoediarum sive ei actionis parti, quae argumenti exitum exponit [2]).

[1]) Zielinski p. 81: "die absolute Stillstand der Handlung".

[2]) Zielinski p. 33: "wer diesen Ausdruck (Katastrophe) auf die Gedankenkomödie anwenden will, der muss von der hier ganz untergeordneter Handlung zunächst absehen; wir werden vielmehr diejenige Scene die komische Katastrophe nennen dürfen, in welcher sich der vom

In Daetalensibus hic *agon* in eo actu agnoscitur, ubi senex cum filiis inducitur atque expostulatio inter patrem et filium improbum exoritur; etiam fieri potest — id quod supra monui — ut iuvenis pudicus non modo huic expostulationi interfuerit, sed ipse cum fratre in arenam descenderit eiusque pravas rationes aggressus sit; quam ob rem certamen illud inter fratres fortasse factum est, velut in Nub. inter "λόγους" iustum et iniustum vidimus [1]). Saepius ante parabasin erat magnum illud certamen, sed in Equ., Nub., Ran. post eam congrediuntur adversarii: in vetustioribus igitur [2]) — additis Ranis, quas iis haud dissimiles fuisse supra animadverti — post parabasin *agon* invenitur; sic etiam in nostra fabula rem institutisse poetam ex iis, quae supra exposui, facile apparet. Metrica descriptio huius certaminis varia esse potest, neque certi quicquam ad eam constituendam ex fragmentis Daetalensium concluditur; velut rursus dispositionem fragmentorum exquirentibus nobis omnino a metrica eorum descriptione haud proficiscendum erat; diversos tamen numeros in ea fabulae parte, ubi certamen illud insertum est, inveniri supra (p. 55) ostendi. — Episodia et syzygias, quae a Zielinskio praeclare expediuntur, in Daetalensibus discernere nequaquam nobis licere, vix est, cur moneam.

Dichter geplante und gewünschte Umschwung im Gemüte der Zuhörerschaft vollzieht, möge sich dieselbe nun in den Sitzreihen, oder auf die Orchestra oder auch auf der Bühne selber befinden".

[1]) Cfr supra p. 24, 37.

[2]) In Acharn. difficillimum est *agona* discernere: quare suspicatur Zielinski ex hac fabula nonnihil excidisse. Cfr Zielinski l. c. p. 52 sq.

Corrigenda.

P. 10	v. 19	scriptum	est	1881;	scriptum	oportuit	1880
p. 11	v. 4	„	„	aliquo;	„	„	aliqua
p. 16	v. 3	„	„	fuerant;	„	„	fuerunt
p. 23	v. 9	„	„	525;	„	„	529
p. 33	v. 1	„	„	remanisse;	„	„	remansisse
p. 41	v. 29	„	„	iudicetur;	„	„	iudicatur
p. 56	v. 23	„	„	ἀνααδεία;	„	„	ἀναιδεία

Index versuum ex integris fabulis Aristophaneis sumptorum, quos in libello citavi.
